Strud

SALOMONIS THEOPHILI
DE MEZA
MEDICINAE DOCTORIS
SOCIET. MEDIC. ET OECONOM. REGIAE
HAFNIENS. SODALIS

DIATRIBAE MEDICAE TRES.

I. De officio medico clinico.

II. De ſanguinis miſſione.

III. De uſu noxio et ſalubri veſicantium.

HAFNIAE, MDCCLXXV.
Impenſis IOANNIS GOTTLOB ROTHE
AVLAE ATQVE VNIVERSITATIS REGIAE
BIBLIOPOLA.

Ce me ſera toujours un reproche plus ſuportable d'avoir manqué de lumiere pour me juger, que de charitè pour le public.

St. Evremont.

PRAEFAMEN.

Tria ſunt in cauſa, quibus impellitur quis ad ſcribendum; ſc. vel officium incumbens alios docendi, vel eruditionis ſuae oſtentandae deſiderium gloriae et honoris ſpe: vel tandem otii taedium, et in ipſo otio occupatum eſſe velle. Res meae vero ſic ſe habent, vt primum ſpectare non licuerit: ad alterum tendere me impedit etiam parua curtaque ſuppellex; non aliud autem quam tertium ſupererat, nempe vt horas a laborioſa praxi fallerem vacuas. Sed iam in materia ſeligenda, non parua inſurgebat difficultas, cum noſtris diebus nihil iam non dictum ſit non tantum in Medicina, ſed et in omnibus reliquis fere ſcientiis et artibus: animos vero incitauit, calcarque admouebat iterum conſideranti, quod varia, eaque in praxi medica ſcitu valde neceſſaria, diſperſa extent in magnis voluminibus, quorum impenſis non aeque omnes pares inueniuntur. Haec ſufficiens mihi fuit ratio, vt quaedam ſeligerem, vtiliſſima compendioſeque pertractarem, hinc

inde-

indeque ſparſa, paruoque libello ſatisque commodo pretio habendo colligarem, quo me aliis vtilem redderem, laborem ſic ſatis compenſatum aeſtimans. Ex quamplurimis autem ſors deerrauit ad officia medica, quae vel perfunctorie admodum ab aliis, diffuſeque nimis ab aliis pertractata ſunt. Tum ad ſanguinis miſſiones a quibusdam mathematice quidem ſed ſubtilius quam verius, a quibusdam iterum negligenter ſatis, obiterque tantum explicatas, omiſſis nempe variis circumſtanciis quoad vſum, tempus, quantitatem et modum ſanguinis mittendi; tandem ad veſicantia, quae cum nimis frequenter vſurpari videntur, medium inuenire cogitaui, quo horum vſus et abuſus conſtet; in hiſce omnibus rite exponendis vires periclitari meas quamuis tenues placuit. Ignorantia vel philautia in erroribus inſpiciendis coeca in purgationem conferatur. Styli elegantia non quaerenda; etiam huic enim minime ſtudui, nec ſtudere potui, vtpote rei magis intentus.

DE

I.

DE OFFICIO MEDICO CLINICO.

Medicus, qui apud aegros inuenturus eſt agenda, debet tum temporis ex vaſta Medicinae Doctrina habere topica, vel, vt Rhetores dicunt, locos communes, qui faciunt, vt iuxta illos omnem ſuam dirigat Doctrinam.

BOERHAV. introduct. in prax. clin.

§. I.

Tanta reuerentia tantoque honore dignus habebatur ab *Hippocrate* Medicus philoſophus, vt Deo aequalem cenſeret. Non ſufficit ergo plurium more vultu tantum eſſe compoſito, et ſpeciem boni viri prae ſe ferre, aut verbis grauitatem ineſſe, ſed vt doctrina, corporis cultura, animi dotibus et moribus aliisque quamplurimis ſeorſim ſtatim exponendis, medens ſe commenda-

mendatum habeat. Non eſt autem animus, medicos veteranos et litteris et annis claros docere, ſed tyrones de officio admonere medico clinico tantum; *Boerhaviis*, *Halleriis*, *Hoffmannis*, *Ludowigiis* et aliis relinquendo ea, quae de ſtudio medico componendo tradunt; vti de officiis medici Aulici, Politici, Phyſici, Profeſſoriſque publici, nec non quae ad medicinam forenſem ſpectant, exponenda.

§. 2. Officia medica igitur reduci poſſunt ad quatuor praecipua capita. 1) Ad addiſcenda nempe. 2) Ad habitum et corporis culturam. 3) Ad animi dotes eiusdemque ornamenta ſeu mores. 4) Ad quaedam extra ipſum poſita, a quibus iterum varia inſurgunt ſeorſim pertractanda.

§. 3. Inter addiſcenda primo ſe offert linguarum notitia, latinae praeprimis inter antiquas; non ita graecae, dum graecorum ſcripta maxima ex parte latine verſa habentur. Inter recentiores vero, prae caeteris anglicae et gallicae peritia medico neceſſaria, cum varia ſcripta praeclariſſimorum in arte virorum hiſce idiomatibus proſtent.

§. 4. Linguam vernaculam illius loci, vbi praxim exercere cupit, probe calleat. Amant enim homines peculiaribus ſibi ver-

bis

bis ſuas exprimere aegritudines, propriisque depingere coloribus, perſuaſiſſimumque habent, medicum alio idiomate vtentem non ita facile ad morbi cognitionem peruenire poſſe, nec ergo illis tantum in eius virtute ac ſcientia fiduciae eſt.

§. 5. Anatomia ſeu cognitio corporis humani dein, quod medicinae eſt obiectum primarium, ſc. quoad eius ſtructuram et fabricam, non immerito adeo neceſſaria medicis iudicatur, ac nautis acus; quomodo enim partium hominem conſtituentium affectus dignoſcere poterit, qui earundem hiſtoriam neſcit? nam ſolus qui nouit harum functiones naturales, poterit morbos a naturali et ſano ſtatu recedentes curare. „Nam omnia quae ſunt in medendo, ſcopum habent, id quod naturaliter eſt conſtitutum; vt habet *Galenus*, et „alibi optime dixit, cuiusque morbi tanta „magnitudo eſt, quantum a naturali ſtatu „recedit, quantum vero recedat is ſolus „nouit, qui naturalem habitum ad amuſſim „tenuerit.„ Caecitatem ab humore cryſtallino, v. g. opaco reddito ortam, nemo medicorum melius dignoſcet, quam qui nouit illum in ſtatu naturali mollem et transparentem eſſe. Qui nouerit hepar lege naturali in dextro hypochondrio ſitum eſſe, ſi doleat aut intumeſcat hypo-

 chondri-

chondrium illius lateris, hepar, non lienem, qui finiftrum occupat latus, affectum effe affirmabit, et follicitus erit de bile vel corrigenda vel temperanda, vt maiora vitentur damna. Quot vero mala et aegrorum faluti et medici famae ex Anatomiae imperitia haud confequi poffunt!

§. 6. Ex dictis patet, non fufficere, vt perfunctorie tantum Anatomiam difcat medicus, fed vt magno ftudio omnes eius partes tractet, vtpote inde cognofcat varia momenta et phyfiologica et pathologica: immo velim vt ipfe fe exerceat in diffecandis cadaueribus, vt abditas faepiffime et latentes morborum caufas perfcrutari poffit.

§. 7. Vifcerum cognitionem neceffariam effe medico ad explicandam Phyfiologiam, actionesque vitales, naturales et animales, vti et glandularum ad fecretionis hiftoriam, vaforumque ad circulationis doctrinam, nec non neruorum ad fpirituum influxum, tum ad omnium horum effectus fiue in ftatu fano fiue in morbofo cognofcendos et curandos, neminem inficias ire facile credo. Sed et Myologiam et Ofteologiam addifci debere a medico, magis mirandum forte videbitur. Sed quomodo medicus quaefo explicare valebit motus animales fine mufculorum doctri-

doctrina? quomodo paralyſin curare natura curandorum ignorata? quomodo nutritionis hiſtoriam eiusque differentiam variam pro aetate varia ſine Oſteogenia? quomodo cauſas rachitidis eſſentiales explicare, quomodo oſſium cariem in paedartrocace? quomodo rationem reddet de exoſtoſium natura in morbis venereis, Oſteologia, oſſium geneſi et medullae cognitione neglectis?

§. 8. Phyſiologiam dein aggrediatur, vt ſtatus hominis ſani cognoſcatur, quo dein facilius a morboſo diſtingui queat, vitiaque cognita emendet et ad priſtinum reducat ſtatum. Ad horum cognitionem deducit Pathologia, quae a medico minime poteſt ignorari. Cum vero nemini curare liceat ſine mediis, quorum applicatione prudentique ingeſtione illud vitioſum in corpore humano corrigitur, euidentiſſime patet, et haec inſtrumenta a medico applicaturo cognita eſſe debere, ergo et therapeutica, et materia medica, quae haec tradit, ignorari haud poteſt. Dedecori enim eſſet artifici, artis ſuae inſtrumenta et adminicula neſcire et vt miles inermis ad bellum accedere. Immo neceſſe eſt ſciat praeparandi modum, horumque virtutes et qualitates, aptamque doſin heroicorum praecipue medicamentorum, ne damnum

 creet;

creet; vt rem autem exemplo illuſtrem, nunquam v. c. abſorbentia, quae ſucco gaſtrico et enterico in lapideas abire poſſunt concretiones, ſine ſalis abſynthii vel rhabarbari admiſtione exhibenda, ſic enim tales praepediuntur concretiones et per ſeceſſum euacuantur. Non dentur mercurialia cum ſalinis acidisue, quia corroſiua euadunt. Non miſcenda catarticis opiata in maiori doſi eo ſcopo, vt priorum vis inde caſtretur. Haec enim ſoporem inducere valent, et illa non tantum inutilia redduntur, ſed et noxia, praeſertim ſi ex acriorum genere. Quis niſi imperitus olea ſtillatitia aromatica in magna praeſcribet quantitate vna vice haurienda?

§. 9. Tyroni medico ergo, vt medicamentariam officinam incolat per annum et vltra, neceſſe eſſe, vnusquisque facile intelliget. Notum enim eſt, ſaepiſſime et aegrotos et adſtantes deſiderare a medico, vt de medicamentis a pharmacopola praeparatis rationem reddat, neminique non noſtrum tale quid aliquando contigiſſe certo certius eſt. Sed quot non hinc difficultates, ſi exiſtimationi ſui, pharmacopolae famae aegrorumque ſaluti ſtudere vult? Taedioſum hoc negotium nemo melius vitabit, quam qui et ſimplicia et mixta tractauit ita, vt quoad colorem, odorem et ſaporem

porem, quantum poſſibile perquam notiſſima ſint.

§. 10. Chemiam quod attinet, nullam vtilitatem medico naſci videtur ex proceſſibus chemicis et metallorum diſſolutionibus, modo praeparationes quorumdam medicamentorum, horumque compoſitiones, vt inde virtutes pateſcant medicae, neque tanquam Empyricus agat, haud ignoret. Chemia igitur pharmaceutica inſeparabilis ab arte medica cenſetur; etenim quatenus elementa corporum tradit, quibus componuntur, in quaeue iterum reſolui poſſunt, maximam affert lucem, tum in explicandis variis ad mixtionem, compoſitionem et diſſolutionem noſtrorum humorum ſpectantibus, tum in remediorum quorum praeparatione, horumque virtute in corpore animato. Medicus igitur Chemiae pharmaceuticae ignarus minime poterit in ſtomachum v. c. motum, quo ingeſta ſiue liquida ſiue ſolida a ſe inuicem ſeparentur, ſoluentur, cum neſciat, quae ad id perficiendum requiruntur. Alcaleſcentium naturam et in putredinem vergentium docet Chemia, poſſumus ne alio fonte haurire, mercurium ſublimatum acidum eſſe, quod viſcera corrodit, ideoque alcalino eſſe oppugnandum hoc venenum, epota nempe ſolutione ſalis tartari aquo-

aquoſa! Quis, niſi chemiae indoctus, gummoſa committet pharmacopolis, reſinoſaque aquoſo ſoluenda menſtruo, quae ſpirituoſo ſeu oleoſo indigent? Cognitione hacce neglecta formulae medicinales inconcinnae manebunt, ludibriumque parient medico; neque raro ad vſum ineptae prorſus erunt. Vt vero praeterea tales vitentur ſcopuli et ars de formulis medicinalibus concinnandis a *Gaubio* addiſcenda.

§. 11. Cum vero medici non tantum ſit morbos ſanare praeſentes, ſed et futuros auertere, id eſt, ſanitatem tueri praeſentem; et Hygyena praeſupponitur nota, quae regulas et monita tradit ad ſanitatem et cognoſcendam et conſeruandam. Oportet igitur, vt non tantum Diaeteticam ſtricte dictam, quae nempe cibos et ſanis et aegris vtiles indicat: ſed et vſus ſex rerum, quae non naturales dicuntur, quarum moderamine vita ſana conſeruanda, probe et ad amuſſim calleat.

§. 12. Media ſeu inſtrumenta, quibus omnia dicta perficiuntur, ex tribus naturae regnis petenda, animali ſc. vegetabili et minerali, ergo et hiſtoria naturalis qua ſingulorum qualitates pateſcant, a medico rationali et dogmatico addiſcenda.

§. 13.

§. 13. Speciatim vero Phyſicae rationalis et rerum elementorum haud ignarus ſit, vt intelligat praeſertim aëris, illius fluidi ſubtiliſſimi nulli animantium non neceſſarii effectus in corpore humano, pro varia eius qualitate et temperie frigida, calida, ſicca et humida; ventorumque, qui duplici ratione corpus afficiunt, vel horum vi, vel qualitatibus, quas aliunde ſecum ferunt. Idem de ignis, aquae et terrae natura et qualitatibus; vti de frigoris indole pro varia circa eum hypotheſi intellectum velim.

§. 14. Specifice cognoſcere debet medicus, in loco quodam praxin acturus, conditionem, temperiem, ſolique ſitum, victus rationem, ventorum et aquarum naturam, vti incolarum idioſyncraſiam et temperamentum; nec non morbos ibidem endemicos, certoque anni tempore epidemicos.

§. 15. Phyſica experimentalis, Mechanica, Mathematicae inter ornamenta medico minus neceſſaria pono, tum quia ſunt, qui medicinam explicarunt, et actiones humanas absque vllo mechaniſmo ex animi imperio, legibus hisce ignoratis nec ante immortalem *Boerhauium* ſancitis, tum quia alii ex alia hypotheſi haſce leges pro nugis

nugis venditarunt, vtpote minus applicabiles, vt aiunt, ad corpus animatum, quod eſt ens peculiare ab adorando creatore fabrefactum et conditum ex duabus ſubſtantiis, conflatum legibus communibus, et notiſſimis minime adſtrictum.

§. 16. Botanicam quoque inter curioſa potius quam neceſſaria colloco, nihil enim proderit medico, noſſe plantarum genera et claſſes diuerſas; numue planta ſit Monandria, Polyandriaue, modo qualitates et virtutes medicas cognoſcat, quae ex Therapia et materia medica quaerendae.

§. 17. Si iam Chirurgiam, doctrinam ſc. de vulneribus, vt de lethalitate, vel non lethalitate horum rationem reddere valeat, addiſcat medicus; vti et de tumoribus theoriam, vt ſciat nempe, qui et quando quomodoue extirpandi; de puris generatione, de gangraenae productione, nec non quaedam neceſſaria circa operationes chirurgicas obſeruanda, vt prorſus non ſit ſpectator inutilis aliquando, dum a dexterrimo chirurgo fiunt, vel vt ipſe interdum vrgente neceſſitate manus adhibere poſſit, abſolute videntur a medico addiſcenda.

§. 18. Equidem non ignoro et plurimas diſciplinas medico commendari a *Boer-*

hauio,

hauio, *Hoffmanno* et *Hallero*; ſed haec potius, vti ſuperius iam dictum, ad ornamenta quam ad documenta pertinere nemo dubitat. Praeterea ad haſce cognitiones tota fere requiritur vita; vnde recte *Hippocrates*, „vita breuis, ars vero longa„ ſtudium tamen litterarum elegantiarum ornamentum omnino neceſſarium puto medico rationali, vt moribus, facundia caeteros vincat.

§. 19. Caeterum Pathologiam et Praxin a medico addiſcendas non tantum ex authoribus, ſed ex vultu quoque cubantis eſſe, nemini dubitare licebit. Oportet igitur, vt medicus tyro, tyrocinium medicum in ſynodochio quodam habeat, vel cui hoc commodi denegatur, comitem ſe practico veterano praebeat, vſuque repetito cognoſcenda cognoſcat.

§. 20. Studiorum penſo abſoluto, antequam medicinam exercendam aggrediatur medicus, ſpecimen aliquod eruditionis ſuae exhibeat, eruditorumque examini rigoroſiorii ſubiiciat, et ab illuſtriſſima Facultate medica in quauis academia, iureiurando *Hippocratis* adſtringatur ad caetera officia Medicinae Doctoris rite praeſtanda, de quibus mox.

§. 21.

§. 21. Studiorum igitur curſu emenſo et laurea capiti impoſita ad alterum, quod medico attendendum, tranſeundum ad habitum corporis nempe: ad hunc igitur inprimis pertinet, vt alios ſanaturus, ipſe non ſit valetudinarius, licet aliis aliud viſum; putabant enim ex aegritudine propria alienam, medicum magis miſertum iri: Sed nemo non videt, valetudinarium medicum minus idoneum eſſe ad varia in praxi clinica occurrentia munera perficienda, variaque taedia, labores, aërisque inclementias ſuſtinendas ſiue interdiu, ſiue haud raro noctu: ambulandum, vigilandum, itinera nonnunquam ſuſcipienda; adde, quod plebs non ita forte bonam concipiat opinionem de tali medico, qui, vt dicunt, ſe ipſum curare non poteſt, nam aeque in phyſicis ac in moribus

Turpe eſt doctori, quum culpa redarguit ipſum.

§. 22. Huc pertinet etiam faciei ingenuitas, corporis membrorumque bona diſpoſitio; linguae volubilitas et facilis loquela, quae non parum commendat medicum et patronos apud amabilem praecipue ſexum parit, qui ſummum tenet imperium in politicis.

§. 23. Veſtis ſit munda, ſordities enim minime placet mundis, neque probos decet; adde quod mundities ipſa ad ſalutem commendatur, hanc ipſe ſuo exemplo commendet medicus. Praetioſa ac ſplendida admodum veſtimenta improbanda; deterritur enim vulgus talem ſibi vocare medentem, ſe minime parem credens ſoſtro ſoluendo, neque obliuiſci debet tales veſtes in populari praxi breui deteri. Concedi tamen poſſunt inter magnates tantum medicinam facientibus. Aurea tamen quotidie geſtare veſtimenta, non medici, ſed hiſtrionis eſt. Serica vero in peſte et morbis contagioſis geſtanda, vt contagium vitetur neque vlterius propagetur.

§. 24. Caput tegatur capillamento adſcititio potius quam proprio capillo concinne et variis ferramentis calamiſtrisue compoſito; vt ſemper promptus ſit ad aegros inuiſendos ſtatim ac vocatus, nec ad nutum ciniflonis viuant et aeger et medicus. Adde quod minime decet virum muliebria affectare, nimisque ſtudioſum eſſe de corporis ornatu. Sollicite curet hominum ſalutem, non ſui capitis decus. Honeſtior compareat quam comptior, neque incedat medicus moſchatus, vt felis odoratus, odores enim ſuaues quam maxime afficiunt foeminis hyſtericis, viriſque

 non

non paucis delicatiori neruorum ſtructura praeditis.

§. 25. Vt corpus ſanum ſic et mens ſana requiritur in medico; memoria quam maxime polleat, ad digitosque, vt dicitur, teneat cauſas, ſigna diagnoſtica et prognoſtica morborum. Non minus enim ſe commendat medicus praeſcientia futuri, et ſummopere ad artis honorem ſpectat prognoſis, qua euentus ſiue ſiniſter ſiue deſiderandus morbi praeuidetur. Si aegrorum enim exitum vel ad mortem, vel ad ſanitatem perfectam, vel ad alium morbum medicus non praedixerit, eiusdem imperitiae aut negligentiae adſcribitur.

§. 26. Ad amuſſim teneat praeterea medicamenta ſingulis morbis apta; dein iudicio gaudeat optimo firmoque, quo diſtinguenda diſtinguere, combinanda combinare, abditaque eruenda eruere, bono et optimo queat ratiocinio.

§. 27. Ad mores vero quod attinet, laudantur praeprimis affabilitas comitasque, conſtantia et patientia laboris et aliorum incommodorum in clinica occurrentium praxi: dein ſit indulgens facileque condonans, quae aliter minus decentia dolor non raro aegris excutit. Humilis, nemini, quamuis leuioris conditionis, colloquium

quium denegans, caueat tamen, ne cum omnium hominum ordinibus aeque familiaris ſit, ne in deſpectum cadat artis honos.

§. 28. Lucri non ſit admodum auidus, medicina tamen non exercenda niſi pauperibus gratis, recte enim prouerbium veterum Chaldeorum, medicum gratis nihili fieri, neque ob auaritiam lucrique turpis cupiditatem pactum ineat, vt fit cum pharmacopola vt ex praeſcriptis ſibi pecuniae aliquantulum quaerat. Cum aegrotis etiam de mercede paciſci agyrtarum eſt, ipſe ſoſtrum petere parit contemptum. Sed dum qui poſſunt ſoluere negligentia vel obliuione circa hoc peccant, expectanda occaſio, vt quando iterum vocatus aliquandiu cunctetur, neque agilis adeo ſit ad accedendum, ſi nullum praeſertim adſit in mora periculum, vt ſic de debito ſoluendo cogitent. Si vero periculum in mora adfuerit, vel ſtatim adeat, vel permittat, vt alium quaerant medicum, nam fallax ſuum promittere auxilium, ſi huic vel alii aegroto adeſſe vel non poteſt, vel non vult, ab humanitate alieniſſimum foret.

§. 29. Ad lucri moderamen pertinet etiam modus viſitationum inſtituendarum, quoad harum numerum ſc. tum et morbi

 decur-

decurſu toto, tum et ſingulorum dierum; prudentia enim ſumma hic requiritur ne numero excedant, ſicque in lucri auiditatis ſuſpicionem veniat medicus; nec minus quam par eſt fiant, ne negligentiae accuſetur. In genere autem dici poteſt, ne ſint adeo frequentes, nec adeo aſſiduae in chronicis quam in acutis. In hiſce vero non aſcendant vltra tres ad ſummum quatuor de die, in caſibus periculoſioribus vel aegris id flagitantibus. Ordinarie bis de die mane ſc. et circa veſperam, quando praecipue ſolent fieri mutationes in morbis, adeat medicus aegrotantes. Indignum quoque eſt prolongare curationem et plures viſitationes nihil agendo turpis lucri cauſa inſtituere. Soſtro accepto ſemel aut bis adhuc conualeſcentem adeundum, ne videatur pro ſoſtro ſeruile laboraſſe tantum, parumque ſollicitum fuiſſe de perfecta aegroti ſanatione.

§. 30. Taciturnitatem dein potius quam loquacitatem affectet. Medicus enim garrulus, vt graeca habet ſententia, laboranti rurſus morbus eſt. Nunquam verboſis adquirat ſibi famam ſtrophis, fides enim exigua multa de ſe iactanti tribuenda: nunquam reuelet, quae curando videt vel audit aegrotantium, domi, vel arcana eidem tanquam medico commiſſa quamuis nihi-

nihili ſint, nec niſi ex hominum ſeu aegroti duntaxat praeiudicio reticenda.

§. 31. Demũm ſi famae conſulere velit, vel ſi ſalua conſcientia cum corio humano agere animus ſit, vinoſus non ſit oportet: fugiat igitur conuiuia et pergraecationes, vbi praecipue maior conuiuarum frequentia, ne anſa tali detur vitio. Verbo omnibus voluptatibus valedicat medicus ſaluti publicae intentus, aliisque ſeruiendo a variis affectibus liber ſit ipſe. Indeque coelibi nuptus praeferendus medicus, partim quia foeminae minore pudore eidem incommoda aperiunt ſua, partim re, quia magis promittunt de pudicitia cuius ſanguinis feruor iam tepidior eſt.

§. 32. Spectat ad mores religio: humanus, probus, caſtus verique numinis cultor ſit medicus oportet. De caetero ſit Iudaeus, Chriſtianus, Mahometis ſectator, immo et etnicus fuerit, nihil intereſſe videtur. Ante religionem reuelatam medici fuerunt meritiſſimi *Hippocrates*, *Galenus* etc. etc. „quicunque ſecundum rationem et verbum vixere chriſtiani ſunt, „quamuis athei", dicit *St. Iuſtin.* Doctrina, probitas, maioris ſunt momenti quam religio peculiaris in medicina facienda. Scientia medica obiectum habet corpus hu-

 manum,

manum, Iudaeum, Chriſtianum, Mahometanum, gentile, fidele, infideleue vt vocant, eiusque ſanitatem vel tueri, vel reſtituere conatur, praeterea nihil; animarum ſalute theologis commiſſa.

§. 33. Nec eſt quod de fide medica erga aegros dubitemus vnquam; cum inde fama et lucrum, honor et emolumentum pendeant: et ſolo hoc de nomine modo artem calleret et ſecundum rationem ac verbum §. 32. viueret, hoc eſt probitate ſe commendatum haberet, haud haeſitarem me medico atheo committere curandum, ſi talis quis vnquam extiterit, natura digitis quaſi vbique monſtrante Deum, ſumma reuerentia adorandum colendumque. Immo perſuaſum eſt mihi et talem medicum, aegrotos de officio erga Deum ſuum admonitum iri, ſic enim probitas poſtulat.

§. 34. Tandem ad quaedam extra medicum poſita, vt inde regulae proprie practicae ſtabiliantur, peruenimus: quae ſpeciatim ſpectant ad medici domicilium et habitaculum; ad certas variis officiis horas conſtituendas; ad quaedam circa viſitationes aegrorum et morborum indagationes obſeruanda: tandem ad caetera quae in methodo medendi et remediorum praeſcriptione occurrunt.

§. 35.

§. 35. Ad habitaculum autem quod attinet, velim vt in vrbibus populoſis media in vrbe fere ſeligatur, non vero in extremis remotioribus ſitum ſit, praeterea ſit acceſſus accommodum, neque multis et anguſtis praeſertim nimis ſcalis ſeu gradibus tantum acceſſibile. Ad terram potius quam ad medium tabulatum, ad hoc iterum potius quam ad ſupremam domus partem; verbo, omni modo facilitetur acceſſus ad medicum.

§. 36. Medicus ipſe certas conſtituat horas, quibus liceat libere eum adire et conſulere. Hoc tempore ad aegrum vocatus ſtatim avolet, ſi ita ab eo poſtulatur ſtatimque domum reuertatur. Alio autem tempore dum domi forſan erit a publicis negotiis et curis vacuus, deque officiis domeſticis et patri familias propriis, ſtudio, commodoque ſuo cogitat, et reputationis ſuae et artis honoris erit ſe aliis denegare, donec audiat, num ſtatus aegroti plus minusue periculoſus; et ſic ſalua conſcientia liceat domi manere, vel ſtatim aegrum adire. Idem ſentiendum ſi noctu vocetur vel e lecto ſurgere cogatur, primum officium erit ſe omnibus modis munire et praecauere ſi poſſibile, et veſtimentis et rheda antequam alios iuuando ſemetipſum peſſundet. Vitam hominum enim con-

ſeruare et populi ſalutem primum eſt officium, ſui vero ipſius ſummum. Cautiſſime ergo vitet, ne plus ſibi damni, quam aegro interdum emolumenti afferat.

§. 37. In inuiſendis aegris non decet inprimis vt greſſu praecipite vel tumultuarie nimis incedat, vel huc illucue curſitans paletur per plateas occupatus in otio gratis anhelans, multa agendo nihil agens, quod hiſtrionis eſt, vtque quorundam mos eſt, nunquam domi manere, vt videatur ſe magno aegrotantium numero obrui: adde quod ita aſſueti quotidiano vſu cubicula non raro nimia praecipitantia ingredientes, quietem et ſomnum aegrorum perturbent et interrumpant.

§. 38. Prouenit et inde praeterea quod non ſatis impendant temporis in viſitationibus: vt rite ſingula ſcitu neceſſaria indagent, neque gratas miſceant confabulationes cum aegris, quod ſummopere neceſſarium antequam pulſus exploretur, quibus aegrorum animus ſaepe erigitur, qui multoties ad medici ingreſſum terrore afficiuntur; credentes ex eius nutu horum vitam mortemque pendere: indeque miro modo turbatur pulſus, vnde non raro fallax exurgit praeſagium.

§. 39. Damnatur etiam quorundam medicorum methodus, qui nimia vultus ſeueritate ad aegros accedunt; pulſusque explorando varias geſticulationes et oculorum diſtorſiones, capitisque nutationes faciunt, ſummam affectando authoritatem, qua melius imperitiam tegant. Manus pulſum tangens ſit probe calida, ſunt enim aegri valde ſenſibiles, et frigoris attactu vtplurimum miro modo afficiuntur.

§. 40. Singulis viſitationibus et prima praeſertim, omnia rite exploranda neceſſaria et ad morbum praeſentem phaenomenis comparentibus vtcunque notum pertinentia. Ignorantiam enim argueret ſummam, ridiculumque valde eſſet, in brachio paralytico v. c. de dolore punctorio circa coſtas interrogare.

§. 41. Primis igitur acceſſibus apud ignotos praecipue de aetate aegri quaerendum, de corporis conſtitutione num ſana, num valetudinaria; de victus ratione; de conſuetudine et temperamento, inde et animi motus innoteſcent; de arte et officio, quae omnia miram affundent lucem in morbo detegendo. Dein ſcrutetur de tempore quo morbus ingruerit, de modo aggrediendi; de vitio vel errore forſan commiſſo in ſex rebus ſic dictis non naturali-

bus; omnesque causas possibiles percurrendo, vt vera affecti inueniatur: tum de morbi mutationibus a primo ingressu huc vsque, de ingestis vel applicatis horumque effectibus. Num aliquando eundem morbum passus, et quali medela curatus. Quanta vtilitas inde ad methodum medendi instituendam oriatur, neminem latere potest. Num haemorrhagiis, vel sanguinis missionibus obnoxius. Num hae omissae, vel illae suppressae, num hernia laboret; quod in dignoscendo ileo multum confert, nec non maiorem circumspectionem circa emetica exhibenda indicat. Num morbus familiaris suis numue hereditarius connatusue. Tum videndum num cutis arida, num humida, num pallida, rubra liuidaue; num eruptione quadam tecta; interrogandum etiam de eruptionis tempore, augmentoque et imminutione symptomatum ad eruptionem vel pustullarum recessum. De sapore et halitu aegri num malus, num olet, quae praesertim bilis vitia circa stomachum indicant. Num doleat alicubi, num dolor ad attactum augescit vel non. Aluus num laxa strictaue, nec non sciscitetur de quantitate et qualitate vrinae, cauteque vitet medicus ne mollior nimis, vel negligens sit in explorandis excrementis aliisque excretionibus,

vtpo-

vtpote maximi momenti in medicina facienda; videat num adeſt inflatio vel tumor in corpore, ſolliciteque obſeruet hypochondria, *Hippocrate* monente, quae plurimum ad ſanitatem et ad mortem protendunt. Neque omittenda diſquiſitio circa reſpirationis ſtatum, linguae munditiem vel ſpurcitiem; oculorum ſplendorem et nitorem. Animi integritatem, et ſomnum. Haec de communibus queſtionibus. Dantur et aliae peculiares mulieribus et infantibus propriae, iamiam recenſendae.

§. 42. Foeminae igitur num menſtruatae, indagandum, num parum, multum, diu breuique duret hic fluxus, num regularis quoad tempus et quoad quantitatem, num menſe vltimo rite fluxerint catamenia? Num grauida et quamdiu? Num puerpera, num abortum paſſa: num partum felicem habuerit; num lochia rite fluant vel non? Num mammae lacte turgeant, num ipſa prolis ſuae nutrix? num primipara, num vltimum partum quaedam accidentia et qualia ſuperuenerint; num fluore laboret albo?

§. 43. Sed in indagandis morborum cauſis ſi forte vnquam hic, certe caute procedendum et circumſpecte admodum, ne piae offendantur aures, quod monitum apud

apud virgines viduasue, dum ſcilicet de grauiditate et morbo venereo ſuſpicio adeſt: prae primis locum habet. Neque minor cautio requiritur hic in remediis exhibendis et nunquam pretio vel prece cebolica vel abortiua, aut aliud pharmacon quocunque nomine nociturum propinet.

§. 44. Ad infantes vocatus, quaerat quam accuratiſſime de aetate num dentitionis tempus, quotue dentes iam erupti, num hiſce erumpentibus male habuerint ſemper, num rachitici, num variolas morbillosue paſſi? num epilepſiam, vermes: num lapſi fuerint, num caeſi, num ſubito perculſi terrore?

§. 45. Hiſce omnibus rite perpenſis, pulſus explorandus vultu laeto, manuque non frigida, vti ſupra dictum; num durus, num mollis, num febricitans; attendendumque ad inquietudinem et tranquillitatem inde pendentem. Et quidem in vtraque manu exploretur pulſus, vt inde vis vitae conſtet. Variae enim adſunt cauſae ſubinde haud patentes, quae variam arteriarum pulſationem inducunt in alterutra manu. Probeque recordor dum ſtudio darem operam medico, iuuenis adhuc, pulſum vt examinarem homo facetus ſaniſſimus, tunc autem mihi nondum ſatis notus

prae-

praeberet, quodque ſtupens reperierim pulſum ſingulis ſex ictibus deficientem laevo in carpo, quod ille obſeruans laetoque vultu ridens, aiebat, ſibi id indicatum fuiſſe a medico familiari et amico. Vnde optime *Celſus* praefert medicum amicum ignoto: is enim pulſum naturalem agnoſcens facillime a morboſo, et ſymptomatico diſtinguet, et in prognoſticis minus errabit.

§. 46. Ad morbi cognitionem tandem perductus, videndum inprimis num incurabilis, valdeue periculoſus ſaltem; aut curabilis tandem. Priores enim attingendi non facile, praeſertim ſi nimis ſero vocatus, et vbi iam nulli ne quidem palliatiuae medicinae locus. Eſt enim hominis prudentis primum eum qui ſeruari non poteſt, non attingere, nec ſubire ſpeciem, vt occiſi eius, quem ſors ipſius interemit. Poſteriores vero quod attinet de periculo amicos et conſanguineos monendum, in difficilique rem eſſe, ne ſi victa ars malo fuerit, vel ignoraſſe vel fefelliſſe videatur, vti habet *Celſus*. Adde quod inde non parum emolumenti cadat in aegroti animam, et in familiae tranquillitatem, dum adhuc tempus datur ad res diſponendas ſiue ciuicas, ſiue domeſticas, ſiue diuinas ante mortem. Velim tamen quod nunquam neque mor-

tem

tem ineuitabilem, neque reconualeſcentiam certam promittat vnquam, nullus enim morbus adeo grauis, quin non aliquando quis inde euaſerit, neque vllus iterum adeo leuis, quod non mortem attulerit, vti habet alicubi *van Swieten.*

§. 47. Morbo autem arte ſananda cognito, ſtatim indicata praeſcribat, et efficaciſſima remedia ſin minus iudicium ſuſpendendo innocentia coordinet: vt aegro ſaltem pro tempore ſatisfiat, neque ignorantiae ſuſpicionem det: donec altera vice accedens et certior de morbo factus, aptiora praeparet, ſicque ſibi et aegro conſulendo, ſalutem afferat cunctando. Ingenuoque candore faſſus eſt hoc de ſe ipſo *Sydenhamus* in febrium curatione. Cuius aurea verba tam apprime hic quadrant, vt minime poſſim quin haec transſcribem. Sic ait enim: „Neque pudet fateri, me non ſe-„mel in curandis febribus, vbi nondum „conſtaret, quid mihi agendum eſſet, nihil „prorſus agendo et mihi et aegro conſulu-„iſſe optime. Dum enim morbo inuigi-„larem, febris vel ſponte ſua ſenſim eua-„nuit, vel in eum ſe typum redegit, vt „iam mihi innoteſceret, quibus armis eſſet „debellanda. „ Additque dolendum eſſe omnino, „quod aegrorum quamplurimi „haud ſatis gnari, quod perinde ſit medici

„peri-

„periti, quandoque nihil agere, atque alio „tempore efficaciſſima adhibère remedia, „probitatis atque fidei fructum hunc cape- „re nolint, ſed vel negligentiae, vel igno- „rantiae id imputent, cum Empyricorum „inſulſiſſimus quilibet medicamenta obii- „cere aeque nouit ac ſolet, quam medico- „rum prudentiſſimus.„

§. 48. Vt vero non praeceps nimis ſic nec cunctator valde requiritur medicus, et in paroxyſmis febrium intermittentium caput petentium v. c. corticis vſum differre piaculum foret. Nam hic ſi vnquam occaſio praeceps cenſenda.

§. 49. In exhibendis vero remediis nouis lento procedat gradu, neque vnquam longo vſu comprobata iisdem poſtponat; ſed hiſce prius fruſtra tentatis diuque vſurpatis, etiam ad noua deuenire licebit, in rebus enim dubiis melius eſt anceps experiri, quam nullum. In remediis vero nouis inueniendis cautiſſime procedendum, prius nempe in animantibus brutis exhibendo, dein in ſe ipſo experiundo antequam in vſum aegrotantium vocentur.

§. 50. In praeſcribendis formulis aegrorum crumenae potius quam pharmacopolarum conſulendum. Vnde non niſi neceſ-

necessaria, neque pretiosa admodum aut exotica, dum vilioribus indigenis et paucioribus idem efficere licet praescribenda. Adde quod multitudine et farragine medicamentorum obruatur non succurratur natura.

§. 51. Medicus sit naturae minister eamque qua pergit iuuet; caute tamen non semper qua itur, sed qua eundum. Naturam enim in Haemoptoë v. g. adiuuare ad copiosiorem sanguinis excretionem error foret haud condonandus.

§. 52. Medicus vocatus ad aegrum, qui iam alio vtitur medico, priori relinquat formularum praescriptionem, neque quidquam praescribat, nisi alterius consensu, amiceque ambo colloquantur inter se de morbo, neque altercentur, vel sibi inuicem contrariantur, vt alius prae alio maior appareat, interimque aeger pro auxilio, quod ex mutuo horum consilio sperat, necem inueniat.

§. 53. Si vero quis vulnere vel alio morbo externo laborans medicum et chirurgum simul aduocauerit, medici erit formulas praescribere, internaque agenda imperare, chirurgo derelictis externis tantum applicandis: si vero medicus primus

voca-

vocatus fuerit chirurgum ſibi ſocium ſemper optimum in vrbe commendet, oportet tamen, vt periculoſioribus operationibus ſaltem interſit, et eo magis quo chirurgus minus vtriusque medicinae gnarus fuerit.

§. 54. Scriptura clara et diſtincta potius quam loquela pharmacopolam iubeat dare medicamenta, ne hic medico recedente et oblitis imperatis det quid pro quo, et famam medici minuat, et errore turpiſſimo nocumentum immo mortem pro ſalute aegro inducat.

§. 55. Aegrotos morem non gerentes et medicamenta non aſſumentes, mature deſerat medicus ne culpa infelicioris ſucceſſus, ei nihil agenti quamuis, dein imputetur.

§. 56. Aeger vero morem gerens non facile deſerendus, neque decet vnquam pronunciare, nullum amplius ſupereſſe auxilium. Tunc enim ſtatim alium et empyricum quidem in auxilium vocant, qui forte fortuna hunc aegrum a medico docto derelictum ſanat, priorisque famam et exiſtimationem maculet, ſeque ipſum plurimorum damno mirum in modum commendat.

§. 57. Eſt et artis honos et medici officium interdum propenſioribus aegrorum deſideriis, modo non abnormia ſint, concedere; miro enim naturae inſtinctu ſaepe curantur morbi; ſic virgo maraſmo confecta, natura appetente oſtreorum crudorum eſu ſanatur. *Tulpio* teſte: ſic impetigo ad decantatiſſima per nouem menſes rebellis remedia, pomorum acidorum eſu trium ſeptimanarum ſpatio curabatur: vti et tuſſis conuulſiua cum hectica corpus depaſcente, ceraſis auide comeſtis, quales caſus ſocietati medicae Hafnienſi nuperrime communicaui. Immo non raro fit, quod medico tali appetitui nimis reluctante, aeger ſuo genio indulgens ſpreto Apollinis oraculo conualeſcat.

§. 58. Obſeruationes practicas quotidie annotet medicus iunior inprimis non adeo magna praxi obrutus, vt inde Theſaurum comparet ſibi egregium, quem adeat in caſibus difficilioribus.

§. 59. Ineuitabile hoc praeceptum videtur circa aegritudines peregrinorum, et ab vrbe remote degentium: vti et medicamenta exhibita, quae ſingula chartis mandanda, ne obliuioni tradantur, cum iterum elapſo quodam tempore a medico poſtulari ſoleant, vel vt oblata occaſione de iisdem rationem reddere valeat.

§. 60.

§. 60. Morbo contagioſo oborto peſtifero nempe, magiſtratui quantocius id indicandum a medico vtpote ciue fideli. Caueat tamen ne vanus terror publico incutiatur: ſed primum morbum probe ſignis dignoſcat pathognomonicis.

§. 61. Intrepidus vero accedat ad morbos contagioſos, armis et adminiculis neceſſariis pro propria ſalute ſatis munitus, vt aliorum etiam ſuo exemplo animos erigat, ne humanae ſuppetiae aegrotis denegentur: non eſt ergo medici ſanis in contagio, haud ſecus quam ducis militibus terrorem incutere, ſed remedia indicare prophylactica, quibus ſe quamuis inter aegrotos verſantes, a tanto malo defendere, ſummoque Numine fauente immunes reddere valeant.

II.

DE SANGVINIS MISSIONE.

ELENCHVS CAPITVM.

PROOEMIVM.

De

DE SANGVINIS MISSIONE.

PROOEMIVM.

Tribus modis educitur ſangis ex venis et arteriis, vel haec vaſa incidendo lanceola ancipite aliove inſtrumento; vel ſcarificando inſtrumento huic muneri adoptato; vel tandem ſugendo per hirudines applicatas. De ſanguinis miſſione autem per venam inciſam prius agendum ob frequentiam qua inſtituitur: tum de Arteriotomia, dein de ſcarificatione; tandem de hirudinum applicatione.

CAP. I.

De venae ſectionis definitione et origine.

§. 1.

Placet autem quoniam tota diſſertatio de venae ſectione, futura eſt, antea definire, quid ſit venae ſectio. „Omnis „enim, vt *Cicero* habet, quae a ratione ſuſ„cipitur de aliqua re inſtitutio debet a de„finitione proficiſci, vt intelligatur, quid ſit „id, de quo diſputetur.“

§. 2. Venae ſectio igitur quae Phlebotomia voce audit graeca, eſt artificioſa ve-

nae cuiusdam lanceola, vel phlebotomo incisio, vt sanguinis portio euacuetur sicque plurimi morbi vel curentur, vel praecaveantur.

§. 3. Difficile equidem est in antiquitatis sacrarium penetrare, plurimorumque originem et inuentionem inueniri, inter quae et venae sectionis institutio prima, certo numerari debet. Primus vero medicorum, qui hanc enchireisin celebrauit, fuit *Podalirius*, *Homero* referente, in vtroque brachio quidem, vt filiam Damaethi Regis ex alto delapsam sanaret. Neque absque vllo fundamento videtur *la Mettrie* *) statuisse id *Podalirio* in mentem venisse, viso forsan haemorrhagiae spontaneae successu. Nec refert si vt aliis placet venae sectionis vsum primarium brutis tribuamus, „nam vt multa a multis animali„bus reperta sunt vsui futura et homini, „Hippopotamus in hac medendi parte „etiam magister existit.“ Etenim si *Plinio* fides assidua satietate obesus, exit in littus, recentes arundinum caesuras speculatur, atque vbi acutissimum videt stirpem, inprimens corpus venam quandam in crure vulnerat, atque ita profluuio sanguinis morbidum alias corpus exonerat, et plagam rursus limo obducit. *Galenus* quoque

*) Comment. in institut. *Boerhau.* Tom. I. p. II.

que refert, capram Ophthalmiae ſaepe obnoxiam ramo arboris vulneratam forſan multum ſanguinis perdidiſſe, ſicque curatam fuiſſe. Ex hiſce ergo concludere licet, haemorrhagias ſiue ſpontaneas, ſiue inſtinctu naturae inſtitutas primam venae ſectionis ideam medicis dediſſe.

CAP. II.

De Aimatophobis et Aimatophilis.

§. 4. Quamuis ſanguinis miſſiones a natura inſtitutae ſucceſſu ſe commendarent, optimo vti dictum, artificioſae huius laticis euacuationes non vbique aequeque erant cordi medicis: reperiebantur enim qui ſanguinem pro theſauro vitae conſtituentes omnem eius euacuationem damnabant, et formidabant, indeque a *Galeno* Aimatophobi vocabantur. Alii e contra nimis prodige et in nullo fere morbo ſanguinem non mittentes, et quidam magna quantitate et repetitis vicibus Aimatophili audiebant.

§. 5. Inter priores habentur *Eraſiſtratus*, *Helmontius*, *Bontekoe*, *Gehema* *) circa finem ſeculi praegreſſi celebris tractatum ſcripſit de medicamentis ſumme noxiis ac mortem inferentibus, ſub quibus

 venae

*) Wegweiſer zur beſtänd. Geſundh.

venae ſectionem recenſet, ideoque alibi regulam ſtatuit, vt nunquam vena ſecetur, vel ſcarificationibus laedatur, ſed ſanguini parcendum tanquam latici ſumme neceſſario pro rotis molae vitae circumuoluendis, tumque addit, quod melius ſit ſe in manum domini committere, quam hominis medici, qui pro more recepto venae ſectione catharticisque curam morborum aggredi vult. *Heraclides* caeterique empirici, nec non methodici raro venam ſecabant, rariſſimeque venae ſectionem reiterabant. *Rhaſes* arabum primarius etiam ſanguini parcebat, vti patet ex iis quae de nocumentis Phlebotomiae habet. Caeterum et inter eos qui ſanguinem non valde ſitiebant, recenſendi ſunt *Foreſtus*, *Syluius de le boe*, *Platerus*, *Amatus Luſitanus*, *Sennertus*, *Sthal* et *Fredericus Hoffmannus*, a quo venae ſectionis abuſus peculiari diſſertatione damnatur.

§. 6. Sunt et alii quamplurimi, qui ſanguini parcere ſtudent, ne longus vero ſim in omnibus recenſendis, celeberrimi *Tiſſoti* *) verba, in quibus ratio huius doctrinae nititur, quaeque ipſe ex aliis refert, adducere iuuat. „Sanguis naturae Theſau„rus eſt et animus; in ſanguine focus eſt „vitae, ſanguis eſt viuificum nectar, quo „parti-

*) De febri bilioſ. p. 155.

„partium omnium fugax viuacitas recrea-
„tur ac reficitur, ad vitae et animalitatis
„conſeruationem et diuturnitatem" quibus
addit ipſe, „virorum gallorum laude ma-
„iorum aurea verba, quae vtinam menti
„medentum continuo adeſſent. Quot illi
„quotidie tradunt, qui omni miſſa ratione
„venae ſectionem in acutis praeſcribunt, vſ-
„que dum remittunt ſymptomata, quae totis
„viribus remittere praepediunt? Quot illi,
„qui celebrare non deſinunt illas nefandas,
„quas praeſeruatorias vocare amant, quas
„aequius deſtructorias diceres?" Patet iam
igitur non adeo frequentes eſſe ſanguinis
mittendi occaſiones, vt vulgo perperam
creditur.

§. 7. Sanguinem e contra in quam
plurimis morbis detrahebant *Hippocrates*,
Galenus frequentius quidem, et audaciſſi-
mas venae ſectiones ad animi deliquium in-
ſtituebat. Pneumatici, quorum princeps
Araeteus, Aimatophili erant. *Celſus* quo-
que; *Leonardus Botallus* Heroës ſane in
profundendo ſanguine, in Galliam, primus
repetitam et crebram venae ſectionem in-
troduxit, et miſſionem ſanguinis velut vni-
verſale remedium in omnium fere morbo-
rum curatione collaudauit, et quidem in
iis, in quibus a prudentioribus damna-
tur, vti in peſte, vbi ipſa prophylactica a

Diemerbroeckio improbatur. Vti et *Riuerio* et aliis: quamuis plurimi ſint, qui authoritate *Hippocratis* freti, laudent venae ſectionem, in affectibus peſtilentialibus. Adducit autem *Diemerbroeck* *) varias rationes, quare ab iisdem diſſentiat. Inter alias autem octauam affert dicens, quia *Hippocrates* in vera peſte non fuit vſus venae ſectione, et in morbis quibusdam peſtilentialibus quidem venae ſectionem in multis aegris tentaſſe; nunquam tamen illas profuiſſe ipſummet teſtari. Pergitque *Galenum* quoque laudare illos medicos, qui in peſte parciſſime auſi fuerunt ſanguinem mittere, dixiſſeque in ea peſtilentia ſui temporis venam pauciſſimis ſectam fuiſſe; humoribus a ſanguinis natura multum recedentibus prohibet *Galenus* venam ſecari. Tandem ad experientiam propriam aliorumque recurrit, qua venae ſectio in peſte ſemper damnoſa teſtatur **). Hiſtoriam adducit nobilis angli peſte correpti, cui chirurgus venam ſecuit, quod et nullo modo ſanguis fluens ſiſti potuerit, ita, vt aeger poſt ſemihoram exſpirauerit. Eo ſaltem nomine venae ſectionem in peſte metuendam eſſe affirmat, aitque ſe bis talem caſum vidiſſe, quod vero aliquando fit, pluries fieri poſſe credi-

*) De peſte Nouiomag. p. 155.

**) Idem p. 292.

credibile eſt. Hodieque vero omnes medici in eo conueniunt, putredinem curari vel corrigi non poſſe per ſanguinis miſſionem et potius emeticis, catharticis, acidis expugnandam. Inde experientia teſtatur, quod venae ſectio in pleuritide adeo neceſſaria, vt dein patebit, aliquando noceat, ſcilicet vbi pulſus ab initio ſtatim paruus ac celer, aliaque ſigna malignitatis et putredinis, vti ciborum auerſatio et faſtidium, nauſea, hypochondriorum eleuatio et ſumma virium proſtratio adſint; vnde *Hippocrates* dolores circa latus in febribus tenuiter conſiſtentes absque ſignis laedit venae ſectio, et quamuis forte reperiantur quamplurimi, qui venae ſectionem in peſte prorſus non improbauerint, nemo praeter *Botallum* et *Sydenhamum* dein tantam ſanguinis detractionem in peſte curanda poſtulant, eamque omnibus aliis remediis anteponendo, modo opportune et quantitate conuenienti, vt putant vſurpata ſit; artique eam aliquando inutilem inuentam fuiſſe propterea, quod aut tardius aut parcius quam opus eſſet, aut quod vtroque modo circa eam vſurpandam peccatum ſit. Vti habet *Sydenham* *).

§. 8. *Hecquetus* quoque inter ſanguinis decoctores numeratur, et pro axiomate ſiſtit:

*) Opere medic. de peſte p. 91.

ſiſtit: 1) Aegrotum non ſanguine magis quam dormientem opus habere, 2) vires cordis plurimum augeri in febribus, ergo et minore ſanguinis quantitate egere, vt ſuſtineantur. 3) Semper ſatis ſanguinis in corpore adeſſe, vt vita conſeruetur; adeo abſurdis ſubinde principiis nititur opinionum diuerſitas in medicina facienda.

CAP. III.

De quantitate ſanguinis educenda.

§. 9. Datur etiam magna differentia inter ipſos Aimatophilos in ſanguinis quantitate educenda. Galli enim nimis liberaliter vitalem laticem profundunt. Itali et Hiſpani ſanguinem mittunt non vnciatim, ſed libratim. Germani non vltra 5 vel 6 vncias emittunt. Inter hos vero Angli mediam amplectuntur viam *).

§. 10. Quidam vna vice ſanguinis copiam ad animi deliquium minuunt, vti *Galenus*; quidam magis fauent venae ſectionum repetitioni, quam vna vice ad animi deliquium euacuando, vti *Celſus*. Suntque iterum alii, qui pluries quam alii venam incidere audent. Sic *Pringle* quater in Pleuritide venam aperiebat. *Tulpius* et *la Motte* ad octo vices eandem reiterabant.

Cleg-

*) *Allen* ſynopt. med. vniuerſ. p. 20.

Clegborn in insula Minorca medicinam agens, in Pleuritide sanguinem detrahebat at ℔. viij. partitis vicibus bono cum successu. *Sydenhamus* vero obseruauit pro pleuritide confirmata sananda 40 circiter vnciarum sanguinis detractionem in adultis, in pueris vero semel aut bis venam secuisse sufficere. De his ergo paulo fusius agendum.

§. 11. Sanguinis educendi copiam variam esse debere pro diuersitate aetatis et aegri virium facile constat. Inde *Hippocrates* *): expedit ad animi defectionem ducere, si aeger perferre possit, item si in valde acutis vires et valentes erunt statim ad animi deliquium. Caute vero alibi dicit, aliter enim plurimum atque repente euacuare periculosum, quoniam omne nimium naturae inimicum. Et quidem si ad naturae institutum attendimus, nunquam Haemorrhagiae sanguine abundante in salutem aegrotantis tendentes, nisi ad aliquot vncias excitantur. Haec igitur sit norma et quantitas moderatrix sanguinis mittendi, non vero librae integrae euacuandae.

§. 12. In febribus ardentissimis, in maximis inflammationibus et vehementissimis dolori-

*) Sect. 2. Aphor. 29. Sect. 2. Aph. 51.

doloribus et vbi feruescentis sanguinis erat plenitudo, subito ac semel euacuabat *Galenus* et ad animi deliquium vsque, habita tamen ratione, et ad vires, et ad robur. Validis enim constantibus viribus fidenter quantum morbi magnitudo desiderat euacuandum, minus validis parcius prostratis nihil prorsus educendum.

§ 13. *Sydenhamus* pro pleuritide curanda, in prima praecipue venae sectione sanguinem ad prima signa animi deliquii, ex pallore in oculis et labiis, vultu, pulsuque languido et sudoris guttulis in fronte erumpentibus dignoscenda, educebat: vt videtur *Araetei* effati probe gnarus, qui vitandum esse in pleuritide animi deliquium asserit, ne Peripneumonia sequatur. Dum enim vti habet *van Swieten* *) in Lypothomia cor quiescit, sanguis in sinu venoso, auricula et cordis dextro cauo stagnat per aliquot saepe minutas et ob inflammatoriam in hoc morbo sanguinis spissitudinem, in concretionem admodum pronus est; vnde iam concrescere incipiens dum excitatur ab animi deliquio aeger, moueri debet per pulmonem, ibique haerere poterit immeabilis in pulmonalis arteriae angustiis, sicque peripneumoniam pleuritide ipsa periculosiorem morbum producere. His addendum

*) Comment. in aphor. *Boerh.* tom. 3. p. 38.

dendum videtur, quod nunquam et in nulla inflammatione conducat ſanguinem mittere ad animi deliquium; cum inde febris vis maxime infringatur, ſicque minime ſperare licere inflammationis reſolutionem benignam per modicam febrem ſemper praeſtandam, ſed citius ſuppurationem immo et gangraenam ob ſummam virium debilitatem.

§. 14. Cum igitur ſemel et vniuerſa facta euacuatio citra periculum adhiberi non poſſit, praeſtat venae ſectionem repetere et vitioſum paulatim euacuare, vti hodie mos obtinuit, ne corpus repente exhauſtum et imbecillum reddatur, in cuius robore ſalutis ſpes non tantum in pleuritide, ſed in omnibus morbis conſiſtit, licet aliquando ad animi deliquium deducta hac euacuatione in acutis continuis, validis aegrotantis viribus illico febris ſublata a *Galeno* fuerit, cui adſtantium quem dixiſſe, fertur, o homo iugulaſti febrim!

§. 15. Iam igitur videndum num certas regulas ſtabilire poſſumus, ad quarum normam, quantitatem ſanguinis emittendi partitis vicibus accuratius determinemus.

§. 16. Primus autem, qui quantitatem ſanguinis educendi determinauit, fuit *Galenus*,

lenus *), dicitur enim mulieri febricitanti catameniorumque obſtructione per octo menſes laborenti, ſanguinem primo die ad ℥xviij ſecundo ad duodecim, tertio ad octo vncias eduxiſſe.

§. 17. *Sydenhamus* in adultis ad ℥x aut circiter mittendum curauit in pleuritide ad tertiam quartamue vicem; quandoque vero morbum adeo pertinacem eſſe, vt longe maiorem iacturam requirat ſanguinis, repetitis frequentius ſanguinis miſſionibus, obſeruationes plurimae optimorum teſtantur medicorum et iam ſuperius ad Sect. X. adduxi ex *la Motte*, *Cleghorn* et *Tulpio*, qui in puerpera octauo a partu die, acerbiſſimo lateris dolore correpta, neceſſe habuit ter pedis et quinquies brachii venas exſoluere, antequam vinci potuerit rebellis morbus, aegra tamen optime a tanto diſcrimine elapſa.

§. 18. Carpit vero *Tiſſot* repetitam vltra tres vices, venae ſectionem in ipſis febribus inflammatoriis, aitque: „Quidquid „ſanguinis vltra aufertur, morbum ple„rumque incurabilem efficit, omnis prae„peditur reſolutio, aequilibrio inter ſoli„da et fluida deſtructo; turbaturque pror„ſus circulatio. Omnis impetus ad partem aegram

*) *Le Clerc* hiſtor. med.

„aegram dirigitur, augetur ſtagnatio phlo-
„giſtica et impingitur pro ratione ſangui-
„nis vltra aequam quantitatem educti, vel
„demum ſi adhuc pergitur, et pergitur
„ſaepius, pauxillum ſanguinis rubri rema-
„nens in maioribus circulat vaſis, demum
„in minoribus perfecta generatur ſtaſis:
„oritur in morbo inflammatorio gangrae-
„na ex debilitate, breuique mors ſequi-
„tur. Non deſunt viae, quae omiſſae
„phlebotomiae locum teneant, et niſi vr-
„geret aliquoties caſus, ſemper tuto omitti
„poſſet. Tandem in haec verba erumpit,
„nec nugas cano, obloquantur quidquid
„innumeri.“ Videntur mihi dicta magni
ponderis eſſe in praxi pro iunioribus me-
dicis, vt diſcant caute mercari cum ſan-
guine humano.

CAP. IV.

De ſubiectis, quibus ſanguis mittendus.

§. 19. Neque parua datur differentia
ſubiectorum, in quibus venae ſectio locum
habet: ratione aetatis nempe, tempera-
menti, corporis conditionis eiusque ſtatus
ſiue ſani ſiue morboſi.

§. 20. Ratione aetatis, primam vlti-
mamque aetatem hoc auxilii genus ſuſti-
nere non poſſe antiqui iudicant. *Galenus*

ſanguinis miſſionem in minore aetate interdixit, ſic habens: „hac ratione nec pueris „venas tunde ad 14. aetatis annum.“ Sed teneris etiam infantibus tuto ſanguinem mitti poſſe, tali tamen quantitate, quam aetas et vires indicant, monuit *Sydenhamus*; et ſaepius hoc profuiſſe vidit *van Swieten* *). Recte igitur *Celſus*: „intereſt „enim, non quae aetas ſit, neque quid in „corpore intus geratur, ſed quae vires ſint, „cum praecipue in hoc ars ſit, quae non „annos numerat, ſed vires aeſtimet.“

§. 21. Vt de innocentia venae ſectionis in tenella quamuis aetate conuincat *Harris*, exemplum adducit a circumciſione in Iudaeorum infantibus, octauo a natiuitate die absque vllo ſanitatis detrimento celebrata. In difficili dentitione ergo ſuadet *Sydenhamus*, in pertuſſi puerorum ipſe *Harris*. Laudatur quoque in conuulſionibus, et ante variolarum eruptionem commendat *Meadius*. Improbandus videtur tamen peſſimus Aegyptiorum mos, qui ſecundum Alpinum nimis indulgent ſanguinis copioſae euacuationi, non tantum in adultis, ſed in pueris quidem: aitque „tanta ab emiſſo ſanguine in pueris pertimetur futura exſolutio virium, vt quam facillimo negotio a morbo ipſi vincantur.“

§. 22.

*) Comment. in aphoriſm. *Boerh.* tom. 2. p. 156.

§. 22. Senibus quoque olim ſanguinem detrahere religionem fuiſſe paragrapho 20mo iam indigitauimus. Iam vero ſaepe non ſine ſanitatis eximio iuuamine eidem ſenes ſubiici nemo non nouit. In ſenibus praeſertim robuſtis, qui propter exercitia moderatiora plus ſanguinis conficiunt, quam vt per vaſa libera adhuc circulare poſſit. Ad vires igitur et ad habitum corporis magis, quam ad numerum annorum attendendum. Nam vti recte *Galenus*: „ſunt qui ſexageſimo aetatis anno venae ſe„ctionem non ferant, cum quidam, qui ſe„ptuaginta nati ſunt annos perferant." Laetus autem ipſe recordor me ante aliquot annos ſeptuagenario maiorem pleuritide laborantem octies venam ſecuiſſe, feliciterque ſanaſſe.

§. 23. Temperamenti ratione venae ſectio praeprimis neceſſaria videtur in temperamento ſanguineo, plethorico et robuſto. Cognoſcitur autem tale ex pulſu pleno, frequenti; oculorum rubore; vaſis humorum refertis, diſtentis et conſpicuis, ex procliuitate in ſomnum, membrorumque rigiditate, qua vaſorum plenitudo et humorum motus ſuffocatus patet. Praeſertim ſi vita tranquilla, menſa lauta, et venae ſectio conſueta neglecta, vel haemorrhoidum et menſium emanſio praeceſ-

 ſerint.

ſerint. Macilenti potius quam craſſi ſanguinis miſſionem ſuſtinent. Si cui ſanguis mittendus, inquit *Galenus* *), „quoniam morbus miſſionem expoſcere videatur, 30 annos natus ſit, ſed laxus et mollis, pinguis „et albus ac gracilibus venis, huic aut plane „ſanguinem non mittes, aut parum detrahes.“ Talis diſpoſitio enim arguit minorem laticis rubri quantitatem, qui potius pro conficienda pinguedine impenditur. Patet igitur frigidis, laxis et debilioribus venae ſectionem minime conducere. Tum etiam anni temporis ratione in aeſtate vbi ſolida nimis laxa et fluida nimis per ſudores difflantur.

§. 24. Ratione corporis conditionis in grauidis praecipue, de quibus *Celſus* ait: Vetuſtatem medicam a tali euacuatione abſtinuiſſe, perſuaſerant enim ſibi mulierem grauidam, quae ita curata eſſet, abortum eſſe facturam. Poſtea vero vſus oſtendit, nihil ex his eſſe perpetuum, aliasque potius obſeruationes adhibendas eſſe, quas dirigi curantis conſilio debet etc. Dantur quidem grauidae, in quibus venae ſectio non neceſſaria ſemper, et quibus tota vita ſanguis numquam miſſus fuit, nulloque damno ſubſequente. Neque tamen ideo damnanda cum *Hippocrate*, qui dicit, mulier

vtero

*) Method. med. Lib. II. cap. 14.

vtero gerens, vena ſecta abortum faciet; eoque magis, ſi foetus grandior fuerit, cui etiam aſſentitur *Galenus*. Tunc enim temporis, vti alibi iam dictum, ſanguinis miſſio ad animi deliquium inſtituebatur, quae equidem damnoſa. Sed hodie cum non niſi modica quantitate, repetitisque potius vicibus minuatur ſanguinis copia exſuperans norunt omnes medici tutiſſimam immo neceſſariam admodum eſſe venae ſectionem, in grauidis ſaepius et praeſertim primis grauiditatis menſibus ad abortum praecauendum.

§. 25. Neque minus patet neceſſitas ſanguinis mittendi in morbis grauidarum acutis, caute tamen monuit *Maningham* hiſce in caſibus, ne copia ſanguinis larga vna vice mittatur, quoniam effectus idem, ſi interpoſitis interuallis fiat, plerumque ſequatur: et iis incommodis, quae temere effuſo ſanguine oriuntur, difficile ſit mederi, additque *van Swieten* *) feliciorem ſemper artem medicam eſſe in tollendo quod ſupereſt, quam in reſtituendo quod deeſt. Parum enim valebunt potiones cardiacae ad vires intempeſtiue effuſo ſanguine reficiendas.

*) Comment. in aphor. *Boerh.* tom. 4. p. 474.

§. 26. Corporis ſtatus ratione, vel mittitur ſanguis ſanis, vel aegrotis illis prophylaxeos ergo, his ſanitatis amiſſae recuperandae gratia. De prioribus quo vsque eis neceſſaria ſtatim, de poſterioribus dein agetur.

§. 27. Sunt qui ſaepius in anno venam ſoluere amant, a multisque malis ſe hac methodo liberari ſperant. Damnoſa ſane opinio. Venae ſectio enim ſemper minuit ſanguinem et ſpiritus viresque et vſu repetito firmiores ſenſim atteruntur valetudines. Recte igitur damnauit hanc conſuetudinem *van Swieten* dicens: „nam per „annum venam ſaepius ſecare haud expe„dire arbitror, quod vna cum ſanguine „vitalis excernatur ſpiritus, atque ſi hoc „copioſius aſſumatur, tota moles refrigera„tur, et omnes naturales operationes dete„rius perficiuntur.“ Quotidie etiam obſeruatur, quod a nimis repetita ſanis ſanguinis miſſione cautelae gratia debilitas, laxitas et tandem hydrops ſequatur. Nam vt habet *Mattis* *), qui hiſce frequentibus ſectionibus ſeſe ſubiiciunt, optimum ſanguinem deperdunt, aequali copia quidem alterum acquirunt, ſed non eadem qualitate, nouus hic enim crudus eſt, aquoſus, lentus, circulare nequit, hydropes creat, tandem

*) *Tiſſot* de febri bilioſ. p. 156. 157.

tandem fere ineuitabili caſu morbos ex debilitate, defectu ſanguinis et ſpirituum, abundantiam aquae producit.

§. 28. Et quae *Galenus* circa hanc conſuetudinem habet, audiendum. „Eodem„que namque anno venam frequenter in„cidere, minime quidem rationi conſen„taneum arbitramur: quandoquidem cum „larga ſanguinis copia vitalis quoque ſpiri„tus emittitur, quo ſane abſumpto cre„brius quidem moles vniuerſa frigeſcit, „tum animales functiones deteriores red„duntur."

§. 29. Neque tutum videtur remedium venae ſectio repetita aduerſus Plethoram ipſam; obſeruauit enim *Dodartus*, ſexdecim vncias ſanguinis per venae ſectionem eductas, intra quinque dies reſtitui in homine non debilitato. Hinc patet, vt habet *van Swieten* *), venae ſectionem repetitam ad plethoram potius diſponere, tam cito regenerato ſanguine, ſed forſan minus forte et ſimul laxiore reddito hinc facilius implendo. Additque ſe vidiſſe foeminam, cui ob validiſſimos et ſaepiſſime renatos animi affectus ſexageſies et vltra vena ſecta fuerat intra anni ſpatium, quae obeſiſſima facta paucorum menſium ſpatio 150 libra-

*) Comment. in aphor. *Boerh.* tom. I. p. 154. 155.

rum pondere aucta fuerat, et tum continuo turgeret renato sanguine, noua sanguinis mittendi necessitas vrgebat magis quotidie, donec tandem soluto omni corporis robore in hydropem incideret.

§. 30. Cum vero ex dictis iam constet, quod quo saepius sanguinis iacturam patiatur homo, eo citius postea sanguine turgeat, et circa solitum venae sectionis tempus eadem ac antea oriantur mala, indeque nova mittendi sanguinis necessitas vrgeat, optimum remedium videtur, vt huic incommodo obuiam eamus, quod huic consuetudini dediti sensim minuant sanguinis missiones, primo quoad quantitatem, dein quoad maius interuallum inter singulas interpositum, vt sic gradatim sine periculo minuantur; ad imitationem salutaris naturae instituti in foeminis, vt habet *van Swieten* *), circa illud tempus, quo menstrua incipiunt deficere. Naturaliter enim sensim minuitur copia et maioris temporis interuallo tantum prodeunt, donec penitus desinant. Si vero subito cesset solitus menstruorum fluxus, pessima inde solent sequi mala.

§. 31. Morbi ratione, nullus pene datur in quo non mittitur, quod *Celsi* tempore,

*) Tom. I. comment. p. 159.

pore, vt nouum quid, ipſe miratur. Et equidem carnificis non medici videtur, parua quacunque de cauſa venam aperire, cum in ſanguine radix vitae ſit, et vitae ſit ipſe theſaurus; vnde ſi aliis modis aegro vel ſine periculo, vel aeque commode ſuccurrere licet ſanguini parcendum. Ad eius detractionem ergo tantummodo in neceſſitate confugiendum, vt ad remedium ſemper amarum, vt verba cl. *Tiſſoti* mea faciam, aliquando tamen neceſſarium. Iam igitur videndum, numne forte rariores ſint ſanguinis mittendi occaſiones, quam vulgo creditur.

§. 32. Conducit autem 1) in omni orgaſmo nimio et humorum maiori motu. 2) In doloribus maximis continuis. 3) In morbis inflammatoriis omnibus; 4) in conuulſionibus. 5) In magnis circa caput ſanguinis congeſtionibus. 6) In euacuationibus ſanguineis et naturalibus ſuppreſſis et artificialibus neglectis: 7) pariter in omni ſanguinis fluxu, aegro iam inde non debilitato nimis. 8) In ataxia ſpirituum et animi motu vehementiori. 9) In prophylaxi aduerſus morbos quosdam, nec non 10) in venenis ingeſtis.

§. 33. In orgaſmo nimio, ergo in omni febri continua aucta, vbi corpus rubet,

venaeque tument pulſusque adeſt plenus et fortis, ſanguis detrahendus. Patet ergo, quod in illis febribus, vbi pulſus languidus et paruus, minime conducat ſanguinis miſſio, neque in febri intermittente, niſi vbi malum a venae ſectione conſueta omiſſa ortum duxerit. Quam maxime igitur attendendum ad cautelam a cel. *van Swieten* commendatam hiſce verbis: „quandocunque ſanguinem mitti iuſſeris, in rebus „praeſertim dubiis, digito aegrotantis venae continuo ab inciſa vena admoto obſeruandum, fortiores an languidiores effluente ſanguine fiant ictus. Si fortiores „fiant ictus, tuto poteſt pergere, ſin minus, „vel ſi languidiores fiant, incommodis afficitur maximis aegrotans, niſi ſtatim deſinatur." Non abſimile monitum dederat *Celſus* dicens: „vis corporis melius ex venis, quam ex ipſa ſpecie aeſtimatur." Pertinet huc et mania, furor vterinus, et priapiſmus, qui morbi partim orgaſmum indicant nimium, partim vero topicam congeſtionem. Duabus igitur de cauſis venae ſectio in hiſce indicata erit.

§. 34. Vrgens dolor quoties adeſt, ſubitum et efficax leuamen non niſi venae ſectione impetrandum poſcit. Eſt enim proximus inflammationis gradus. Inde in ileo neceſſaria cenſetur ſ. m. in brachio ex lato vulne-

vulnere ad animi deliquium quidem ex *Aretaei* ſententia? In doloribus colicis quoque, vti et in renum calculo: rheumatiſmo; in podagra ab extremis ad viſcera repulſa. In cholerae initio pulſu forti exſiſtente *) indiciis plethorae praeſentibus, multum ad vitam ſeruandam valere poteſt et praeſentaneam opem aſſerit *Waterus* **).

§. 35. Inflammationis ratione omitti non debet venae ſectio in pleuritide, ophthalmia, angina, peripneumonia vera magis quam ſpuria, phrenitide aliisque inflammationibus ſiue internis ſiue externis. Neque raro in Eryſipelate. Indicatio deſumitur a pulſus duritie, plenitudine, dolore vrgente, anxietate circa cor, reſpiratione difficili et cruore lardeaceo, vti fuſius adhuc infra dicetur. Hic refertur etiam venae ſectio in variolis, vbi plethora et ſigna inflammationis euidentiſſima, cuius vtilitatem et neceſſitatem in hoc morbo commendat *Actuarius*; *Rhaſes*, medicorum Arabum facile princeps, iubet ſanguinis miſſionem in adultis varioloſis, hisce aſſentiunt *Ballonius*, *Bagliuius*, *Riuerius*, *Hamilton*, *Boerhauius*, *Pechlinus*, *Werlhof*, *Berger*, *Meibom*, *Loeber*, *Helwich*, quorum verba circa venae ſectionis vſum in variolis, a *Tral-*

*) *Van Swieten* tom. 3. p. 174.

**) *Trall.* de chol. p. 258.

Trallesio recensentur *). Venae sectionem copiam minuere variolarum, haemorrhagias in hoc morbo funestas praecauere credunt authores. Neque tantum in primo stadio, sed in febri secundaria in hoc morbo funestam subinde inflammationem inducente necessaria habetur, vti et in morbillis peripneumoniae metu.

§. 36. In conuulsionibus et praecipue in epilepsia fere semper vtilis est venae sectio, neque raro necessaria; immo aliquando sine piaculo omitti haud potest. Licet enim, vt recte *Tissot* **), non semper radicalis cura obtineatur per sanguinis missionem, cauentur tamen ea morbi insultus. In Asthmatis conuulsiui paroxysmo, chorea sancti viti, colica hysterica sua se quoque interdum commendat vtilitate.

§. 37. Si congestiones sanguinis praecipue fiunt ad caput, vt v. g. in vertigine et apoplexia sanguinea, sanguinis requiritur euacuatio larga. Si vero venae sectio in apoplexia non iuuat, occidit. Generale enim posuit *Celsus* axioma practicum; si omnia membra vehementer resoluta sunt, sanguinis detractio vel occidit, vel liberat. Videtur tamen, vt *van Swieten* habet circa haec,

*) Nutzen der Aderlässe in Blattern.

**) Traite de l'Epileps.

haec, aegrum mori non ob venae fectionem, fed vi morbi infuperabilis toties. Enim

Non eft in medico femper, releuetur vt aeger,
Interdum docta plus valent arte mala.

§. 38. Inter fanguineas euacuationes fuppreffas, quae venae fectionem poftulant, haemorrhoides, fed praecipue menfium emanfio in non effoetis numerantur. Vbi enim f. m. neceffaria eft, vt plethora minuatur. Supprimuntur vero vel in virginibus variis de caufis, vel in vetulis naturaliter et fponte. Requiritur ergo femper magna cautio circa venam aperiendam, vt nempe figna adfint plethorae, nam fi corpus exhauftum fuerit, vel per morbos praegreffos, vel in fummo fenio, repletio potius non euacuatio indicatur, vnde *Helmontius*, „peccatur ergo a fcholis per venae fectiones, dum virgines ex parte menftrui palpitationem fentientes fuccurrere fatagunt fine diftinctione. Nam quanquam menftruum primi gradus per phlebotomiam reuulforiam palpitationes fedet, in tertio tamen menftrui gradu exitiale remedium praedixi archiatris noftris *)." Immo addit, quod virgines repente

*) *Van Swiet.* comment. in aphor. *Boerh.* tom. 4. p. 440.

pente extinctas viderit propter phlebotomiam se inuito institutam. Menses etiam in vetulis circa 45 annum vel naturaliter vel a valido, vt fit, animi affectu suppressae sanguinis missionem poscunt, si tensio et obtusus dolor circa lumbos, inguina et pubem adsunt. In grauidis quoque, vbi plethora adest, abortum praecauet.

§. 39. Abortu instante, neque sanguine vbertim adhuc fluente, in narium haemorrhagia, nec non aliis sanguineis euacuationibus, corpore iam non inde admodum debilitato, venae sectio necessaria erit, vt hae excretiones compescantur. Vti quotidie in haemoptoe obseruatur, ex hac quoque de causa commendatur ab aliquibus in dysenteriae principio.

§. 40. In animi deliquio viribus constantibus, corporeque bonis succis repleto, nec non in terrore subito oborto, pauore inopinato, vti in vehementi irae commotione, vbi motus humorum turbatur cum anxietate, sanguinis ventilatio admodum vtilis et ineuitabilis saepe.

§. 41. Venae sectio repetita maxime vtilis in prophylaxim haemoptiseos, carcinomatis productionis vel iam ante existentis exulcerationis in vetulis. In bubone

bone venereo et gonorrhoea laudatur pro praecauenda inflammatione. Pro conceptione facilitanda commendatur bis in anno a *van Swieten*. Dantur et alii quamplurimi casus non nisi praxi annotandi, in quibus medici prudentiores venae sectiones prophylacticas instituunt aliquoties in anno, vt maiora vitentur incommoda.

§. 42. In venenis quibusdam, quae dolores et metus inflammationis inducunt, tum in his, quae rarefactionem sanguinis pariunt, vti opium aliaque narcotica et calida, venae sectio requiritur. Opio, inquit, *Geoffroy* *), nimia copia assumpto et mortem grauioribus symptomatibus minanti, medentur primo venae sectione, qua vasa sanguinea, a sanguine rariori facto, vltra modum distenta euacuantur, et ad solitum diametrum reducuntur. Sed vires adhuc constare debent *Geoffroyo*, *Tralles* plane consentit. Hac ipsa de causa s. m. ebrietati quoque medetur. Praestat et ante opii vsum aliorumque huiusce commatis medicaminum venam aperire, vt maius spatium concilietur sanguini inde rarefaciendo.

CAP. V.

*) Mat. med. tom. II, p. 102.

CAP. V.

De tempore, quo venae ſectio inſtituenda.

§. 43. Circa tempus, quo venae ſectio celebranda, non pauca annotanda veniunt. Non agitur vero hic de anni tempore, quod tantum circa prophylacticam venae ſectionem locum habet, optimeque vere fit, vel et de hora diei, quae diſquiſitio vtpote inutilis et ſuperſtitioſa rectius explodenda. Sed noſtra indagatio verſatur praeſertim circa morbi tempus et dies, de quo non aeque conueniunt authores, cum alii non niſi primis morbi diebus et ingruente paroxyſmo, venam ſecandam ſentiunt, alii vero nihil intereſſe affirmant, quo morbi tempore id fiat, indifferenterque toto morbi decurſu, et quidem in morbi fine ſanguinem mittunt. Praeterea quidem ſtatim aegro examinato, vbi venae ſectio indicatur, ad eandem confugiunt, quidam vero quaedam praemittunt alia. Ita ex *Sydenhami* ſententia in morbis acutis, vbi purgans vel vomitorium adhiberi debet, praemittenda ſanguinis miſſio, vt nimia ſanguinis medicamenti ope agitatio praecaveatur. Quod equidem valere poteſt, vbi nulla in mora periculum. Sed nec immerito aliis medicis inſederat opinio, noxiam eſſe venae ſectionem primis viis ſaburra

refer-

refertis, ne ſcilicet venae depletae noxios inde humores attraherent, neque putant tantam ſanguinis commotionem timendam à medicamentis mitioribus minimeque violentis.

§. 44. In febribus acutis vero alia eſt *Celſi* ſententia. Alia aliorum medicorum. Noui, ait *van Swieten*, quibusdam ſcrupulum iniecisse *Celſi* effatum etc. Quod ſi vehemens febris urget, in ipſo eius impetu ſanguinem mittere, hominem jugulare eſt. Putat vero *Celſum* venae ſectionem periculoſam pronuntiaſſe in impetu febrili, ſc. in intermittentibus vel remittentibus febribus. Sic enim habet: „expectanda „ergo intermiſſio, ſi non decedit, cum cre„ſcere deſiit: ſi neque remiſſio ſperatur, „tunc quoque quamuis peior ſola tamen „occaſio non omittenda eſt.„

§. 45. In inflammatoriis morbis ex maximorum virorum ſententia, venae ſectiones intra diatriton inſtituendae poſt quartum diem. Vix amplius prodeſſe ſtatuit *Celſus*, quia cauſa obſtruerit nimis jam conſolidata et validiſſime impacta. Vaſculis obſtructis reſolui nequit amplius, ſeu aſſimilari iterum ſanis humoribus et cum iisdem circulare.

§. 46. *Galenus* dixit in ſ. m. non attendendum eſſe ad dierum numerum. Quocunque enim die mittendi ſanguinis ſcopos inueneris, in eo illud auxilium adhibeto, etiamſi vel vigeſimus ab initio is extiterit. Scopos autem poſuit morbum ingentem et virium robur.

§. 47. Sanguinem mittere nunquam vtile eſt, ait *van Swieten* *) poſt quartum diem, cum ſpatio ipſo materia vel exhauſta eſt, vel corpus corrupit, vt detractio imbecillum id facere poſſit, non poſſit integrum. Sed ſi etiam in hiſce caſibus febris tanta fuerit, vt a nimis impetuoſo motu ruptis vaſculis, loco benignae ſuppurationis, gangraena metueretur, ſanguinis miſſione febris ad tale moderamen reducenda eſſet, quale ſuppuratio requiritur.

§. 48. Certum eſt, venae ſectionem in inflammationibus in initio ſemper melius conducere, ſed ſi tunc temporis neglecta fuerit, non ideo adultiori morbo omittenda. Notabile habetur exemplum apud *Hippocratem* de Anaxione, qui pleuritide ſicca decumbebat, fruſtra calidis fomentis tentata, inſomnis erat, ſexta die morbi delirabat, ſeptima dies moleſta erat, febris enim augebatur, nec dolores remittebant, octauo

*) Tom. 2. p. 157.

octauo die multum ſanguinis educebatur ſecta in cubito vena, vnde leuamen doloris ſenſit et poſt repetitas criticas euacuationes die 34to prorſus iudicatus eſt. Notat autem *Galenus* in commentariis ad hunc locum, *Hippocratem* hoc diſerte monuiſſe ideo, quia medici quaſi ex lege quadam vltra quartum diem venam non ſecabant, felici ſucceſſu in curanda periculoſiſſima pleuritide, peſſimisque Symptomatibus ſtipata. *Hippocratis* veſtigia premit *Trillerus* et octauo morbi die libram circiter ſanguinis aperta brachii vena, detraxit cum leuamine inſigni, immo ineunte die nono, dum ſuffocationis metus ingruebat, denuo ex pede ſex ſeptemue uncias ſanguinis emiſit. Sic quoque hunc aegrum ex ipſis orci faucibus eripuit *). Eſt quidem haec obſeruatio ſatis mirabilis, vt medici inde diſcant nullis ſe legibus adſtringere generalibus, ſed tantum ad phaenomena ſingularia et indicationes peculiares attendere.

§. 49. *Araeteus* habet: nulla morae occaſio in pleuriticis, neque cunctationis, ſed valida medicatione opus eſt, venae ſectione nempe eodem die, niſi morbus ab ingurgitatione ciborum et potuum proueniſſet, tum enim diei vnius abſtinentiam praemitti maluit.

 §. 50.

*) *Van Swiet.* comment. Tom. 3. p. 36.

§. 50. Ex dictis patet, quod praestet fere semper, vbi venae sectionis indicatio datur, quantocius sanguinem mittere et quidem satis magna copia, habita tamen ratione, aetatis et virium in diuersis aegris. Non enim vana videtur cautela *Ramazini* *) circa venae sectionem repetendam in agricolis quam parum felicem esse, statuit dicens: prima cautio itaque in pleuritide aliisque pectoris morbis sit ne tam liberaliter sanguis vti sit in vrbana gente, illorum enim corpora ab assiduis laboribus attrita facile exsoluuntur. His accedit, quod sanguinis systasis tota fere gelatinosa sit, et partibus volatilibus effoeta. Sanguine propterea nimis large detracto, vires concidunt, nec sufficiunt ad morbum per anacatharsin exantlandum. *Ballonius* etiam quaerit, cur seruorum et seruarum corpora, dum alioquin et compacta et solida, nec tam lubricae valetudinis vti corpora liberorum cum aegrotant, purgationibus et venae sectionibus magis obruantut, quam corpora molliora.

§. 51. Licet tamen magna adsit debilitas, si omnia symptomata recrudescerint, nullum aliud auxilium superest, quam de nouo sauguinem mittere. Memorabilem casum

*) Oper. eius p. 365.

caſum habet *van Swieten* ex *Trillero*, qui docet, quantum proſit in deſperato etiam caſu felix cordati medici audacia: In iuuene enim et valido venatore acutiſſima pleuritide correpto, poſt binas ſatis largas venae ſectiones, cum morbus in melius iam mutari videbatur, quinto die omnia ſymptomata quam vehementiſſime recruduerunt et fruſtra iniecto clyſmate, applicatis veſicatoriis iamiam moriturus videbatur; in vtroque pede iam frigido calida aqua foto lanceola infligebatur vulnus amplum, ſed ex venis ſauciis ne guttula quidem ſanguinis prodibat, feruida aqua affundebatur pedibus, ita vt epidermis abſcederet, tuncque ſatis larga ſanguinis exiuit, tali cum effectu, vt reuiuiſceret ſemimortuus non tantum, ſed feliciſſime ſanaretur.

§. 52. Ne quidem a venae ſectione in pleuritide abſtinendum, ſi ſymptomata vrgent, licet menſtrua fluant, pariterque in puerperis quamuis lochia fluant; hanc optime ceſſiſſe inſigniterque profuiſſe ſimilibus in caſibus, ſuis obſeruationibus confirmat *la Motte*.

§. 53. Indicatio in inflammationibus pro vena incidenda, ex difficili admodum reſpiratione, anxietate ſumma, pulſu pleno et duro, doloreque acuto petitur, nec

 non

non ex crusta lardeacea in cruore apparente, quamuis hoc vltimum signum fallax admodum sit; etenim variae existere possunt causae, cur talis minus appareat crusta, iterum variae, cur in sanguine educto, vbi nulla datur inflammatio, adsit. Sic obseruauit *Sydenhamus*, crustae generationem saepe impediri in pleuriticorum sanguine, si non satis libero flumine de vena secta prosiliat, sed lente per brachii cutim rependo quasi exeat. Celeberrimus *Trillerus* iterum testatur, se crustam illam inflammatoriam inuenisse, licet sanguis ad perpendiculum stillatim et lente proflueret. Memini, ait *van Swieten* *), idem obseruasse in pleuriticis quam in sanis hominibus, quibus prophylaxeos causa vena secabatur, ipse ego hoc et alii quamplurimi medici mecum quotidie obseruant. Crusta lardeacea quoque deest sanguine recepto in vas minus amplum, vel etiam si continue agitetur.

§. 54. Vtilis immo necessaria est aliquando venae sectio sub fine morbillorum, vt peripneumoniae praecaueatur. Item in primo variolarum stadio ante earumdem eruptionem, ad animi deliquium pro more olim recepto in quocumque subiecto, infan-

*) Comment. Tom. 3. p. 39.

infantibus tantum exceptis, a *Paulo Aegineta* commendatur. In caeteris casibus, vbi venae sectio requiritur, fere semper in ipso morbi paroxysmo celebratur.

CAP. VI.

De effectibus venae sectionis primariis.

§. 55. Sanguinis missio intra terminum, quo vires non minuantur, copiam sanguinis minuit; resistentiam ergo mouendorum reddit minorem, nec non plenitudinem vasorum horumque compressionem tollit, contractionem et elasticitatem, vasis antea distentis auget vel reddit; liquida rarefacit et resoluit, obstructa aperit, circuitum, se- et excretiones promouet humorum, morbos ergo ex horum abundantia timendos tollit; ingressum medicamentorum in vasa conciliat; impacti vel effusi favet resorptioni. Inde in putridis biliosis febribus nocet, materiaque sanguini immiscendo, quod vulgo dicitur repellere. Probaturque talis humorum repulsio experimento a *Leuwenhoekio* instituto. Habuit nimirum cel. Vir eiusmodi animalculum, cuius ala contusionem perpessa fuerat, idque microscopio suo subiecit, hacque ratione obseruauit, adesse in loco contusionis corpusculum aliquod crassum, quod e va-

ſe cui inhaerebat, ſeſe contrahente terebatur continuo et verſus cor, adeoque retro aliquantiſper mouebatur, eo praecipue tempore, quando in diaſtole erat conſtitutum, donec tandem prorſus repelleretur in vas maius et ex hoc in adiacentem venam, ſicque ſanguis per illud vas, per quod antea tranſire prohibebatur, dum obſtructum erat corpuſculo illo craſſo, libere iterum mearet, circulusque legitimus iterum reſtitueretur *). Talem repulſionem, qua impactum ex anguſtiis verſus latiora et maiora vaſa regreditur, ſtatuit *Boerhauius* paſſim in ſuis aphoriſmis, et ab illuſtriſſimo commentatore *van Swieten* **) affirmatur, dum ait, obtinere autem talem retrogradum motum fluidorum in vaſis ſimulac cordis vis impellens ceſſat vel diminuitur, docent certiſſima obſeruata. Dum in ſyncopen delabitur homo, incipit minui cordis actio, imo ſi perfecta fuerit, ſyncope ceſſat integre. Incipiunt tum ſtatim palleſcere labra et oculi, facies contrahi et ſubſidere, collapſis vel potius contractis, elaſticitate ſuorum laterum vaſis minoribus et retropellentibus fluida contenta in maiora vaſa. Et alibi ***) haec habet: dum inflammati oculi

*) Trall. de camphor. p. 181.

**) Tom. I. p. 212.

***) Tom. I. p. 214.

li rubent penitus a ſanguine alienis vaſis impulſo venae ſectio magna, imo ad animi deliquium vsque facta, ſtatim rubor ille diſparet, retropulſo ſanguine in vaſa maiora.

§. 56. Talis repulſio minus facile videtur ſecundum *Tralleſium* in peripneumonia, ſanguine nempe ſtagnante in pulmonibus, haerenteque inter valuulas ſemilunares et extremitates arteriae pulmonalis, immobili fere vtrimque cuſtodito, ac carceribus veluti clauſtrisque conſtricto. Valuulae ergo impediunt, quo minus ad cor dextrum ſanguinis retrogredi poſſit.

§. 57. Caeterum ſanguinis miſſio calorem leuat et refrigerat, actionem et attritus ſolidorum in fluida minuit, hinc tanti vſus in morbis acutis, in febribus ardentibus.

§. 58. Haec de modica ſanguinis miſſione intelligenda. A paulo enim maiore vel copioſiore motus circulatorius compeſcitur, minorique quantitate reuertitur ſanguis ad cor; inde laxitatem et debilitatem inducit, irritabilitatem auget et ataxiae viam pandit. Menſibus rite fluentibus eosdem imminuit, vel plane ſupprimit, vnde in iis quae per vterum rite purgantur, raro et non niſi ſumma vrgente neceſſitate,

in pleuritide molesta v. g. recte instituitur. In debilioribus sanguinis detractio vires vitales sternit, habitum corporis deteriorem reddit, temperamentum frigidius facit, totius corporis decolorationem et dispositionem ad morbos chronicos et exitiales inducit.

§. 59. Praecipua ergo quae a venae sectione expectanda veniunt, a sanguinis imminutione deducenda. Seu quod idem est, euacuatio sanguinis est vnicus seu praecipuus scopus, cui medicus per venae sectione collimat. Erit igitur venae sectio euacuatoria tantum; verum enim vero cum apud antiquos et hodiernos de reuulsoria et deriuatoria mentio iniiciatur, de his quoque pauca dicenda.

CAP. VII.

De triplici venae sectione.

§. 60. Venae sectio triplex statuitur in medicorum scriptis, euacuatoria nempe ad minuendam sanguinis molem, et ad liberanda vasa ab eiusdem pressione reuulsoria, si vasa nempe a sectione magis distantia minorem sanguinis quantitatem accipiant, quam vasa sub vulnusculo proxima, sub eodem diametro et deriuatoria, dum vas parti affectae proxima aperitur, quo plus

plus ſanguinis accipiat, quam remotiora eiusdem licet diametri.

§. 61. Venae ſectio reuulſoria ab *Hippocrate* commendatur in libro de oſſium natura, dicens: „ad eos igitur modos venae „ſectiones faciendae; danda eſt autem ope„ra, vt quam non proxima, procul a locis „in quibus dolores fieri et ſanguis colligi ſo„let, ſectiones faciamus. Ad hunc enim mo„dum, vel minime magna repente mutatio „contingit, et tranſlata conſuetudine effi„ciet, ne amplius ad eundem locum coëat.“ De angina vero alibi loquens ſic habet: „Sic affectis a venis, quae in brachiis ſunt, „ſanguis detrahendus eſt, ſimulque aluus ſubducenda, vt, quod morbum exhibet, id auellatur.

§. 62. *Galenus* quoque de capitis dolore curando agens laudat reuulſionem in totum corpus, acribus clyſmatibus et vinculis ac multis infernarum partium frictionibus, ſanguinis etiam non nihil, ſi ita neceſſitas urgeat, detrahenda; parti autem medemur interim dum in totum corpus revellimus, ea capiti inſpergentes, quae repellendi vim obtinent.

§. 63. Venae ſectio deriuatoria ab *Hippocrate* in doloribus leniendis commendatur, proximum ventrem purgando, pro-

ximum-

ximumque vas ſecando. In lumborum et pudendorum doloribus ex venis poplitis vel malleoli ſanguinem mittendo; natura indicante in haemorrhagiis ſponte obortis in cephalalgia et phrenitide.

§. 64. *Bellinus* perſpicuitate ingenii pollens ex legibus hydraulicis, triplicem hanc venae ſectionem probare conatus eſt. Ex ipſiſſimis hiſce legibus refutat *Sauuagius*. *Senac* quoque in tractatu de ſtructura cordis euidenter monſtrare ſatagit nullitatem deriuationis et reuulſionis, ſanguinisque miſſionem euacuatoriam tantum admittit; riſit et *Helmontius* has reuulſionis nugas et poſt *Harueum* plurimi hanc ſpreuerunt tanquam penitus inutilem et ſanguinis circulationi repugnantem doctrinam. *Bohnius* quoque reuulſionem negat, hancque doctrinam omnino euertit. Nec *Hambergerus* dicens: „nulla ergo datur „reuulſio, nulla deriuatio per locum venae „ſecandae obtinenda," hinc plane liberum eſt, ſiue ſecundum regulas medicorum receptas, ſiue contra easdem venae ſectionem inſtituere velis *).

§. 65. *Van Swieten* econtra affirmat ratione et experimentis confirmari reuulſionis in morbis vtilitatem. Simulac enim, inquit,

*) *Trall.* de ven. Iugul. p. 26. 27.

quit, minuitur vel tollitur integre reſiſtentia ſanguini per vaſa propulſo in quodam corporis loco, illico maiori velocitate huc ruit et diriuatur, diſciſſa ſic mediocris etiam magnitudinis arteria, omnis ſanguis per hunc locum iam non reſiſtentem effluit; dum excuſſo foetu liberantur abdominalia vaſa et viſcera tanta preſſione, niſi circumdata faſcia pendulae et flaccidae fulciantur partes. Saepe tanto cum impetu verſus haec loca deriuatur omnis ſanguis, vt deficiat debita preſſio et in cerebri et cerebelli vaſis et lethali ſyncope pereat puerpera. Idem fit in aſciticis, dum ſubito paraçentheſi inſtituta omnis aqua educitur, niſi ſtringatur abdomen. Patet ergo, minuta reſiſtentia in quodam corporis loco ſanguinem maiori impetu et copia eo verſus deriuari.

§. 66. Reuulſionem quoque admittit *Tralles* *) et quidem facilius per arteriotomiam. Nimirum id veriſſimum habeo inquit, ad illud venoſum vas, quod ferit chirurgus affluxum celeriorem ſanguinis inuitari. Sit nempe propter effluentem e vulnuſculo inflicto cruorem, aliquod in vena vulnerata vacuum, ergo accedet in hoc citius ſanguis ex illa arteria, quae cum hac vena connectitur.

*) De camphor. p. 174.

tur. Igitur etiam citius ad ramum cuius arteria haec eſt ſoboles, adeoque ex ipſo trunco arterioſo, ex quo iterum ramus hic proficiſcitur, plus ſanguinis fluit ad ipſum hunc ramum, quam ad ramos alios, qui truncum cum illo ramo communem habent. Igitur tantum minuitur impetus ad ramos caeteros, quantum vno illo ſanguine ſuo tandem venae vulneratae proſpiciente is augetur. Vt res ſaepius in controuerſiam vocato prorſus clara euadat, probat adhuc reuulſionem alio modo, nempe

§. 67. Sanguis venoſus, inquit, ſemper reſiſtit arterioſo et in qualibet etiam arteria fluens cruor reſiſtit ſibi ſuccedenti pellitur. Arterioſus vero cruor eo copioſius, vbi minor eſt reſiſtentia et contra. Iam in caſu poſito ante ſectam venam, ſanguis in vaſis vtriusque pedis contentus illi, qui circuli lege ea ingredi contentimque propellere nititur et reſiſtit aequaliter. Facta vero inciſione in vena pedis dextri, effluenteque cruore minuitur hic reſiſtentia, ergo tanto plus ſanguinis affluet ad pedem dextrum, quanto hic reſiſtentia, ac reſiſtentia in pede ſiniſtro, igitur fit reuulſio. Eſt igitur ea vtique probabilis, vt ex dictis hactenus patet. Clariſſimumque ſic redditur a ſuperioribus auellere nos poſſe ſanguinis impetum,

petum, ſi in inferioribus venam pertundamus et contra.

§. 68. Ipſe *Sauuagius*, qui ex legibus hydraulicis reuulſionem negat, quique credit certas circumſtantias requiri, vt talis ſanguinis miſſio vel reuulſoria vel deriuatoria fiat, a medico a priori vix praeuidendas, ergo nec ab illo talem venae ſectionem imperari poſſe, in machina humana reuulſionis poſſibilitatem ſtatuit, dicens: verum ſi de machina viuente et motus ſuos dirigente agatur, res alio modo ſe habet. In homine v. g. ſi ſit potentia, quapropter fines nondum ſatis intellectas, valeat neruis arterias ambientibus, arterias inferiores v. g. conſtringere diu ſuperiores laxantur. Certum eſt quod ſecta iugulari, fluxus in carotides erit vberior, caeteris paribus, quam in iliacas et reciproce, quia ab illorum tuborum anguſtia decreſcit ſanguinis influxus, tum propter ſectionis decrementum, tum propter affrictus incrementum, adeoque in humana machina quatenus in venae ſectione fieri poteſt, vt vi pathematis animi certae arteriae conſtringantur, prae aliis, fieri poteſt tum reuulſio tum deriuatio belliniana.

§. 69. Ex dictis iam patet, dicenteque *Pechlino* non vanam eſſe curioſitatem de

loco

loco ſectionis deliberantium, modo non in ſuperſtitionem abeat affectata ſubtilitas. Reuulſionis ergo et deriuationis vocabula antiquiſſima non ſunt nomina tam inania quam ab aliquibus ſupponitur. Practicis enim obſeruationibus vſum venae ſectionis in pede certis in aegritudinibus, reliquis miſſionibus ſanguinis praeferendam confirmat *Stahlius*. Plenitudines certo et ſuppreſſis menſibus ortae omnino per crura euacuantur. Reuulſionum et deriuationum operationem atque veritatem aliquot diſſertationibus probare conatus eſt *Goelickius*. Reuulſionem agnoſcit *Boerhauius*, triplicemque vſum tandem venae ſectionis memorat *Hoffmannus*, euacuatorium, reuulſorium et deriuatorium. Neque illuſtr. *van Swieten* reuulſionis vtilitas latuit.

§. 70. Quia igitur venae ſectio reuulſoria, legitime ab intelligente leges circuli inſtituta, minuit impetum in loco quodam adeoque et impactus qui in loco ſtaſin inflammatoriam continente, maxima damna inducere ſaepe ſolet, per talem venae ſectionem minui poteſt, egregie liquet in omni morbo inflammatorio, vbi reuulſoria ſanguinis miſſio perfici poteſt, ſine mora eandem adminiſtrandam eſſe, neque ſine magno fructu adminiſtrari. Tantique facit *Tralles* reuulſoriam venae ſectionem, vt

putet

putet, inde auerti illa mala, quae ab obſtructione pertinaciore facta excluduntur, abſceſſus, gangraenam, ſphacelum mortemve poſſe.

§. 71. Iam ergo videndum, quid ſentiendum ſit de controuerſia inter medicos olim agitata; an in pleuritide vena ſecari debeat in brachio lateris affecti, an vero in oppoſito? Vtraque enim opinio multis authoritatibus ſtabilitur: *Hippocrates*, *Galenus*, *Celſus* militant potius pro brachio lateris affecti, quos inter recentiores ſequitur *Beuerouiccius*. *Araeteus*, *Aetius*, *Coelius Aurelianus*, in oppoſito latere venae ſectionem inſtituendam ſuaſerunt, ab octavo ſeculo vsque ad decimum ſextum adeoque per 800 annos et vltra fere omnes medici venam ſecabant pro pleuritide curanda in brachio oppoſiti lateris, dolenti. *Petrus Briſſotus* Anno 1514 medicinae Doctor creatus, exploſis Arabum libris incepit *Galeni* quaedam volumina publice explicare, cumque ibi inueniſſet laudari venae ſectionem in bracchio lateris affecti, auſus fuit primus ſe torrenti opponere et a recepto dudum more recedere. Felix ſucceſſus in pleuritide epidemica initio ſeculi decimi ſexti in Gallia graſſante fecit, vt plures illum ſequerentur inſignes medici. Paulo poſt in Luſitaniam profectus fuit et ibi au-

ſus res nouas moliri: Sed magno niſu ſe oppoſuit archiater Luſitaniae regis et controuerſia delàta ad Academiam Salamanticam, ſtatutum fuit nulli medicorum licere in pleuritide venam ſecare e directo lateris affecti. Quod decretum poſtea mitigatum fuit, immo fere importunis ſollicitationibus motus fuiſſet *Carolus V.* romanus Imperator et Hiſpaniarum Rex, vt publica authoritate proſcripſiſſet hanc *Briſſoti* ſententiam *). Poſtea videtur impune licuiſſe omnibus, vt vel Arabum vel *Hippocratis*, et *Galeni* methodum ſequeretur. Immo poſt circulationem detectam plurimi fuerunt in illa opinione, non eſſe magni momenti rem, ex quo brachio ſanguis mitteretur: modo ex largo vulnere et ſatis magna copia in morbi principio educeretur. Interim tamen et hoc ſeculo de eadem hac re diſputatum fuit inter celeberrimos medicos. Pariſinos *Silua* et *Cheualier.* Cum autem in ſimilibus controuerſiis multum pondus habeat ſollicita obſeruatio illorum, quae proſunt vel nocent, in morborum curationibus, videtur illa ſententia, quae venae ſectionem in brachio lateris affecti ſuadet, tutiſſima eſſe. *Briſſòti* felicitas in curanda pleuritide epidemica dum in latere oppoſito facta venae ſectione, in eodem mor-

*) *Swiet.* comm. tom. 3. p. 41.

morbo plurimi moriebantur, vel longiſſimo tempore languebant. Confirmabat hanc ſententiam *Sydenhamus*: educebat ſanguinem de brachio lateris affecti ſimulac vocabatur ad pleuritidem curandam, dum vero ſectionem iterauit poſtea, non monet, ex quo loco ſanguinem emiſerit. *Hildanus* fatetur, quod nunquam vel ſaltem rariſſime optatum ſucceſſum viderit ex ſectione venae in oppoſita parte facta. Recentiſſime et ſuis obſeruationibus eandem ſententiam ſtabiliuit *Trillerus*, praecipue quoad primam ſanguinis miſſionem, alteram autem in pede eiusdem lateris adhiberi maluit; et dein, ſi opus foret, etiam tertiam quartamue venae ſectionem quandoque in pede oppoſiti lateris inſtituit. In mea praxi nullum damnum obſeruaui vnquam ex venae ſectione in latere oppoſito ex aegrotantium praeiudicio vtplurimum inſtituta. Mea enim ex ſententia in vena ſecanda ad chirurgi commodum attendendum non parum; qui ergo vel hoc vel illud brachium capit, prout magis arridet, praeſertim cum decumbenti vena incidenda ſit. Ex quorumdam ſuffragio venam ſecare e brachio lateris affecti ad *Galeni* exemplum erit pleuriticum cito iuuare e periculo. E brachio autem lateris aduerſi ad *Auenzoaris* imitationem, torquere et

tarde iuuare. In talo venam ſecare, vti placuit *Auicennae*, aegrum interimere. Reuulſionis vtilitatem agnoſcit *Swieten* in inflammationibus, in angina; ſed nihili habet in haemorrhagia ex vulnere, vbique magna arteria rupta.

§. 72. Ex dictis colligere poſſumus, in partialibus morbis, ſi impetus minuendus ad aliquam partem, vel regurgitatio aut depletio ſit facienda, venam proximam aperiendam eſſe. In membris ſuperioribus aut inferioribus, in hoc vel illo latere; ſed in morbis trunci nullam eſſe differentiam, quaenam vena in brachio, vel in pede aperiatur. In morbo autem generali, in febri inflammatoria, acuta, ardente, nullum ſtatuendum diſcrimen; eligenda eſt enim vena ad incidendum aptiſſima.

CAP. VIII.

Ex quibus venis ſanguis olim mittebatur.

§. 73. Veteres magis quam hodierni, magnum diſcrimen fecere, ex quanam vena eliceretur ſanguis, magnumque ſelectum habebant in morbis particularibus, praeſertim quaenam incideretur vena, vt non dubitarent raninam, temporalem, iugularem et penis atque canthi oculi, immo in ipſo oculi bulbo venam aperire. Tum et

magnam

magnam ſtatuebant differentiam, an mediana, baſilica, cephalica vel quaeuis alia aperiretur; inque membris ſuperioribus vel inferioribus. Tota haec doctrina tanquam ſine vllo vſu, tum et quia circuli arguebat ignorantiam, tandemque quia non ſemper ſine incommodo aut periculo inſtituere licebat, in iugularibus, et raninis ſcilicet, poſtea repudiata fuit.

§. 74. Ab *Hippocrate* commendatur ſanguinis miſſio ex vena frontali in occipitis dolore et in mania. Temporalem incidebant venam antiqui in cephalalgia pertinaci et in ophthalmia; vti et venas iuxta paruum oculi angulum; circa vel poſt aures ſitas; tum naſalem aperiebant olim in gutta roſacea: venam inter mentum et labium inferius in oris et gingiuarum vitiis; raninas vel ſublinguales in angina praecipue. Iugulares quoque in capitis morbis, in phrenitide ſc. apoplexia, cephalalgia, ophthalmia, angina, vertigine, melancholia et mania tandem in cruribus et manubus incidebantur venae.

§. 75. Hodie tamen cum ex circulationis legibus patet idem eſſe, ex quanam vena ſanguis educatur, hae venarum inciſiones exoluerunt; cum praecipuus ſcopus in miſſione ſanguinis ſit eius copiam immi-

nuere, tum propter minorem dexteritatem chirurgorum tyronum ſaltem minus in hiſce exercitatorum. Tandem propter varia incommoda a talibus inciſionibus nonnunquam timenda.

§. 76. *Hippocrates* a venae ſectione pone aures Scytis in coxendice familiari ſterilitatem ſequi putat, a copioſa praeſertim euacuatione, ait enim poſt ſanguinis effluxum prae imbecillitate ſomno corripiuntur et obdormiſcunt; et forſan a perpetua equitatione, qua ſemper eorum pedes ex equis pendebant. Stapes enim a Scytis nondum cognoſcebatur.

§. 77. Venae iugularis inciſio damnatur hodie ob ſanguinis fluxus, qui difficile cohiberi poteſt, ob venarum amplitudinem. Facilius inde animi deliquium quam ex alia vena inciſa ſequi putant quidam, tum etiam damnatur ab aliis, quia dum collum cum mantili ſtringitur, vt melius appareat incidenda, maior ſanguinis copia ad caput accumulabitur, fietque igitur encephali compreſſio maior, in apoplexia et morbis capitis valde metuenda: quin in magna vaſorum plenitudine rupturae periculum adeſt; hinc vult *van Swieten*, vt prius depletis vtcunque vaſis per ſanguinis miſſionem in brachio aut pede inſtitutam, poſtea

et

et ſecentur iugulares, ſi repetita ſanguinis miſſione opus fuerit.

§. 78. *Riuerius* tamen, experientia fretus, vult, non adeo periculoſam eſſe hanc operationem, ſi debite adminiſtretur, nam in morbis capitis turgidae, vt plurimum conſpiciuntur venae iugulares, ita vt vel nulla, *Iacobo Carpenſe* monſtrante, vel leviſſima conſtrictione tantum opus ſit. Ruſtico timore eos perculſos aſſeruit *Ludouicus Mercatus*, qui hanc phlebotomiam, cuius beneficio promptius ſe exonerat caput, quam per alias venas quascumque adminiſtrare, non audent. Qui vero plura de hac controuerſia pro et contra iugularem incidendam deſiderat, adeat *Trallcſium*, qui ſpecialem tractatum circa eius vtilitatem conſcripſit.

§. 79. Vtcumque igitur ſit, noſtris diebus venae ſectio vtplurimum in brachio vel in talo tantum inſtituitur. Venae in brachio incidendae ſunt praecipue cephalica, mediana et baſilica, in dorſo manus aliquando vt in obeſis valde, ſaluatella; in pede duae inciduntur venae, iſchiatica nempe ſaphaenaque. *Proſper Alpinus* aſſerit tamen apud Aegyptios adhuc dum varias incidi venas pro varietate partis affectae. Sufficit vero, ſanguinis circulatione

detecta, vt ex alterutro brachio manu et pede ducatur ſanguis; neque iuuat num ex baſilica, hepatica, ſplenica, mediana, ſalvatella brachii vel manus educatur, cum omnes ex eodem trunco arteriae ſanguinem accipiant et refundant in eundem venae truncum: quod etiam ſentiendum eſt in pedum venis. Sed differentia poni forſan poteſt, in quonam brachio vel pede inſtituatur venae ſectio, vti paulo ante dictum. In genere tamen dicendum quodſi totius corporis cauſa ſanguis mittatur in brachio fiat, ſi partis alicuius ex eo qui parti affectae quam proximo: in feminarum morbis, vti menſium obſtructione, et in viris quoque in haemorrhoidum ſuppreſſione, nec non in quibusdam capitis et oculorum morbis in talo ſaepiſſime iuuat. Sectae enim in cubito venae, mulierum revellere purgationem aſſolent ex *Galeni* aſſertione.

§. 80. Solebant et olim et hodie aliquando ſanguinem mittere ex arteriis, praecipue iis, quae per tempora diſcurrunt, nam cum arteriae non ita facile coëant, non alia temere incidenda, quam quae ſubiectum os habet et quae igitur valentius comprimi poteſt.

§. 81. Vtilis haec ſanguinis detractio eſſe ſolet, vbi maius periculum ex apople-

xia

xia nascitur, vel vbi maior oculi inflammatio, et vbi ex magna lippitudine, corneae timetur exulceratio, etiam illa in valde plethoricis aduersus amaurosim quandoque prodesse creditur, et fuerunt, qui sine manifesta causa subito obcaecati, hac ratione lumen receperunt *Platnero* attestante *). In phrenitide laudatur a *van Swieten*, maniamque inde sanatam affirmat; ab aliis pro epilepsia curanda commendatur arteriotomia.

Cap. IX.

De praeparatione ante venae sectionem necessaria.

§. 82. Ad hanc igitur operationem quaedam requiruntur antea, quaedam sub ipsa operatione, quaedam eadem peracta agenda, haec vel a chirurgo vel ab ipso aegro, obseruanda, de quibus seorsim iam agendum et primo quidem de requisitis in ipso chirurgo.

§. 83. Ex *Celsi* igitur sententia chirurgus sit adolescens, aut certo adolescentiae propior, manu strenua stabili neque vnquam intremiscente, eaque non minus sinistra quam dextra promptus, acie oculorum

*) Institut. chirurg. p. 753.

rum acri claraque. Aliaque requiſita minus neceſſaria recenſet *Dionis* *).

§. 84. Hisce qualitatibus donatus chirurgus venae inciſionem, vel in brachio vel in talo ad medici praeſcriptum aggrediatur, eligatque ſi in brachio ſtatim venam maiorem nudiſſimam ſubtus non habentem arteriam, vti habet v. c. baſilica; vel neruum vti mediana, vel tendinem vti hae ambae: quae facile ligari poteſt, qualis eſt cephalica, iuxta quam nulla eſt arteria, neque neruus, neque tendo, hanc igitur ob cauſam minime cum periculo aperiri poteſt.

§. 85. Ante operationem vero requiritur candela in loco obſcuro et vbi luci diei aditus denegatur; vaſa pro excipiendo ſanguinem, faſcia et ſpleniola ex linteo quadruplicata. Faſcia lintea ſit ſeſquiulnalis, pollicem vero lata ſine ſuturis aut eminentiis.

§. 86. In promptu poſitis omnibus, quae ad operationem et deligationem requiruntur, membrum eſt ita ſtringendum vinculo ſupra incidendam venam, vt non intercipiatur ſanguinis fluxus per arteriam, ſed reditus per venam inhibeatur, inde paulo laxius vel ſtrictius ligandum membrum,

*) Cours d'operations p. 653. 654. 655.

brum, donec vena ſub ligatura tumeat; tum digito exploranda arteria pulſatio antequam baſilica aperiatur.

§. 87. In manu et in pede expedit partem demergere in aqua tepida vel calida vt cutis laxetur et venae magis appareant: huic propoſito etiam multum valet muſculorum agitatio in eodem membro et frictio ſupra venam ſurſum verſus. Ligatura ſeu faſcia vel plane non aut altius iniicienda ad genu puta in venae ſectione in talo celebranda.

§. 88. Si adſunt cicatrices locus paulo inferior eligendus, etenim ſi ſupra incideretur vena, ſanguis minus libere fluit, cicatricibus comprimentibus. Vnde artis magiſtri prima venae ſectione locum venae elatiorem eligunt, vt maneat dein locus aptus aliis inciſionibus.

§. 89. Supra tumentem riteque adaptatam ergo venam, ponatur vnius manus pollex ſub loco incidendo, vt maneat vena in ſitu firmata, dum per ſcalpellum, phlebotomum, in altera manu inter indicem et pollicem retentum, faciat ſectionem venae paralelam, vel aliquomodo obliquam, minime vero tranſuerſam, quod potius fit in arteriotomia, duplo largiorem quam

quam est cuspis scalpelli, tam profundam, vt superius latus venae perscindat; nam in minori sectionis profunditate non subsequetur sanguis, in profundiore latus venae oppositum faciet ecchymosim. Adde quod cadat in periculum arteriae pungendae in basilicae, vel nerui vel subiectae aponeurosis bicipitis in medianae incisione.

§. 90. Sanguinis fluxus promouetur, motu, frictione partis et ligaturae solutione et relaxatione, vt arteria minus compressa, nouum sanguinem venae adiacenti suppeditet; respiratione forti, tussi.

§. 91. Contingit aliquando, quod sanguine fluente oriatur lypothimia, in debilioribus praesertim, vel in nunquam antea phlebotomiam passis. Huic incommodo obuiam itur, si aeger superius in lecto iacet, sic enim absque animi deliquio facilius maiorem quidem sanguinis iacturam feret quam erecto corporis situ. Tum digito pulsus semper explorandus, num debilior fit, quo in casu mox digito vena obturanda, inspersa aqua in faciem, et aceto ad nares applicato, vt aeger excitetur.

§. 92. In arteriotomia, quae fit praecipue in arteria temporali, alio modo et cum aegro et cum chirurgo agitur. Homo enim

enim in ſedili collocandus eſt, ſic vt caput in oppoſitum latus inclinatum ſit. Curaturus digitum admoueat, vt arteriam ſe attollentem, nec nimis magnam, nec nimis tenuem inueniat, locum notare poteſt atramento, tum dimittat in arteriam ſcalpellum ancipitem, vel alium et fere aptiorem Germanis *Schnippert* dictum, inciſio transuerſa hic aptior erit.

§. 93. Quantitas ſanguinis educenda a medico determinanda et ad vires aegroti menſuranda, deque hac iam ſuperius ſatis et tantum hic addendum putamus axioma generale ex *Araeteo* nempe, ſi minus detraxeris quam cauſa poſtulat, nihil magni per magnum auxilium conferes, ſi qualem fieri decet, fiat, confert et facile ferunt, ſin minus e contra ex *Hippocrate*. Pulcherrime vero iuuat quod ex vena maiori per vulnus amplum celeri fluxu exeat ſanguis.

§. 94. Sanguis excipiatur tribus vaſis minoribus terreis potius quam vno latiori, vel cupreis, vt medicus melius de qualitate ſanguinis iudicare valeat, quod iam ſuperius indicauimus; praeterea notum eſt, cupri particulas calore ſanguinis ſolui eique immiſceri poſſe, variasque inde mutationes inducere, et medico anſam ad errores

rores in morbo dignoſcendo et curando dare.

§. 95. Poſt ſanguinem ſufficienter euacuatum, pollice vena comprimatur paulo infra aperturam, vinculumque ſoluatur iniectum, abſtergatur ſpongia madida ſanguis imponaturque panniculus quadratus paruus, vel ſiccus, vel aceto, vel ſpiritu vini, vel tandem aqua tantum imbutus ſupra inciſionem. Huic igitur alter maior applicetur et iniiciatur faſcia, tam arcte, vt valeat continere ſanguinem, ſed non ſuffocare eiusdem circulationem; denique membrum teneatur parum inflexum.

§. 96. Poſt venae ſectionem in talo inſtitutam prae ceteris, quies eſt imperanda aegro, ne vel ſanguis iterum erumpat, et quod crebrius accidere ſolet, plagae inflammatio ſuperueniat, inde queſtio oritur, num ſomnus recte praepeditur a venae ſectione? Equidem absque vllo fundamento, niſi fortaſſe quod ſomni tempore vena iterum aperiri poſſit, ſanguisque ad mortem vel ad animi deliquium ſaltem effluat: adſtent vero cuſtodes, vt id incommodi praecauere liceat. Non conducit vero, vt mos obtinet, vt vinum aliaque calida ingerantur, ſanguine educto roborandi cauſa, vt ferunt. Haec enim directe oppoſita ſunt

ſcopo,

ſcopo, cui ſanguinis miſſio inſtituitur; neque decet vt aëri ſe committat, cur vena inciſa et quidem prophylaxeos ergo fuit, facile enim febris oriri poteſt catharrhalis, vt ſaepius annotaui. Solentque tunc dicere per ſanguinis miſſionem ſanguinem commotum fuiſſe et miaſma morboſum ei immixtum deuolutum eſſe.

§. 97. Sanguis e vena miſſus, vaporem volatilem leuiter odorum emittit, calore autem naturali amiſſo in placentam ſiue cruorem et partem ſeroſam plus minus flavam pro varietate temperamenti ſecedit, inferius vbi cruor aëre non tangitur, nigrum colorem induit, ſuperne rubicundum ſeruat colorem in ſanis plerumque. Si haec maſſa vertitur ita, vt pars rubicunda fundum vaſis ſpectet et nigra aëri ſic exponatur, breui fiet et caloris reciproca mutatio, inde apparet quam turpiter errant chirurgorum famuli, dum viſo nigro colore de malo aegroti ſtatu iudicant, in inflammatoriis morbis, poſitis certis circumſtantiis, cruor cruſta obducitur lardeacea; in putridis e contra ſanguis ſolutus apparet et nullo modo coït, ſed potius in putrilaginem et liquamen abit, in leucophlegmaticis et cachecticis pars ſeroſa, cruorem quantitate ſuperat, in plethoricis craſſus eſt et floridus ſpumamque diu retinens cruor, vix

vixque nisi longo post tempore serum dat, neque admodum dissimilis est sanguini ex arteria incisa, collecto, qui vtpote intime mixtus in placentam solidam concrescit, quae non nisi praeuia putredine in sua principia resoluitur.

§. 98. Potiora mala, quae a vena minus feliciter incisa interdum euenire solent, sunt, quod vel minus distincte chirurgo apparens, aegre ab eo incidatur ipsiusque opera frustretur: vel loco venae sectionis arteria pungatur oriaturque inde aneurisma, quale vidi in Iudeo post venae sectionem male administratam a barbitonsore tandemque perita chirurgi aulici *Kölpin* manu feliciter curatum, neruus laessus quoque interdum aut tendo vasi vulnerando adiacens, doloris et aliorum grauium symptomatum causa euadit, vt Carolo nono Gallicae Regi contigit. Vel demum ex vasis vulneratis natura, haemorrhagia immodica difficulter compescenda oboriatur, quale quid in raninarum sectione subinde accidere solet, quale exemplum refert *Dionis* a fraenulo linguae in infante recens nato male inciso. Solet etiam aliquando inflammatio sequi in vena incisa, nempe, si acies scalpelli retusa, vel si aqua in quam pes demittitur, vel qua spongia imbuitur, impura fuerit, dum plaga abstergitur. Ecchymosis

mosis transuersis incisis venis; tandem tumor partis oedematosus vel a fortiori ligatura, vel vulneratis aliquot vasis lymphaticis, quae omnia aliquando faciliori, nonnunquam vero operosiore arte curantur.

§. 99. Mittitur etiam sanguis per scarificationem cutis: vel per hirudinum applicationem cuidam corporis parti. Ad tales enchyreises quoque confugiendum est, dum venae sectioni vix locus datur, vti in infantibus debilioribus obesisque, dum venae ita latent, vt absque periculo aperiri nequeant.

§. 100. Plurimi fiebat olim scarificatio in quamplurimis morbis oculorum praesertim capitis auriumque, neque sine fructu reuera occipiti adhibetur in cephalea pertinaci scapulisue. In artuum doloribus, ischiatica, paralysi partes affectae optime scarificantur, idem valet de scabie, prurigine aliisque morbis cutaneis. In dorso, femoribus quam aptissime fiunt scarificationes, si materies quaedam acris faciem v. c. occupans inde auellenda creditur.

§. 101. Cuti concidendae prius apponitur cucurbitula vitrea argenteaue, per candelam ardentem aëre rarefacto, vt sic cutis eleuetur, cucurbitulaque ei recte impressa inhaerescat. Diducta dein cucurbitula cu-

tis inciditur inſtrumento pluribus ſcalpellis e latere motis inſtructo. Cuti ſic inciſae iterum apponitur cucurbitula, qua amota, ſpongia aqua tepida, madida abluuntur plagulae, et noua imponitur cucurbitula, donec ſanguis fluere deſinat. Interdum ſemel tantum, interdum bis, inciditur, cutis eadem machina, in diuerſis corporis partibus ſimul ſolent fieri tales conciſiones.

§. 102. Animalculum triſulco ore partem corporis, cui applicatur, vulnerans ſanguinem exſugens, quod hirudinem vocant, vltimam occupat ſcenam in hoc opuſculo de ſanguinis miſſione. In aquis puris degens et ex flauo virideſcentem colorem habens optimum eſt.

§. 103. Conducit ſanguinis imminutionem facere per hirudinum applicationem, vbi venae ſectioni vix locus, vti de ſcarificationibus dictum, ſc. vel ob teneram aetatem, vel ob praeiudicia recepta, vel tandem ob venas nimis tenues et admodum latentes.

§. 104. Variis corporis partibus pro morbi vario genio apponuntur, praecipue autem, vbi vaſa ſanguinea valde tument, vt in temporibus, gingiuis, pone aures, in capitis morbis, ophthalmia, infantum dentitione,

titione, otalgia, etiam ad haemorrhoidum tumentia capitula. Cauendum vero, ne anum irrepant. Profunt etiam in ifchiade artuumque doloribus ad ipfa loca affecta.

§. 105. Confert etiam, vt fanguine alenda famelica fint, aliter enim fugere refpuunt. Pars, cui admouenda fedulo prius tepida abftergatur, lactisque cremore vel fanguine calido illiniatur. Hirudines applicaturus, manu linteolo obuoluta eas prehendat, affixae non auellendae; facile enim partis induceretur inflammatio indeque fequens gangraena. Relinquendae ergo, donec faturae et fanguine impletae decidant. Recedunt etiam, fi nitro, fale aut cineribus adfperguntur, fimulque exfpuunt fanguinem, quem deglutierant. Neque ftatim, amotis hirudinibus, ceffat fanguinis fluxus, fed quidem fatis diu et copia quidem magna effluit, imprimis quando haemorrhoidibus applicantur, vnde earundem vfus ad fanguinem minuendum efficacior, quam fcarificationum.

III.

DE VSV NOXIO ET SALVBRI VESICANTIVM.

ELENCHVS RERVM.

PROOEMIVM.

De

DE VSV NOXIO ET SALVBRI VESICANTIVM.

PROOEMIVM.

Vratislauiae decus, de re medica optime meritus illustr. *Tralles* in dissertatione epistolari de methodo medendi, variolis hactenus cognita saepe insufficientia, magno pro inoculatione argumento, optabat, vt aliquis medentium eadem methodo, qua ipse opii vsum salubrem et noxium ex solidis et fallere nesciis principiis adstruere laborauit, vesicatoriorum vsum et abusum, in commoda praxeos cultioris adstrueret; haud inutile prorsus fore putavi, si, quoad vires, hoc propositum vtcunque elaborare adniterer. Absit vero, quod credam, opus aequiparandum absolutissimo illi de opio ab ill. viro in lucem, edito fore. Scio enim quam parua, quam iusta mihi supellex, cum et eruditio et bibliotheca desint. Praeterea nec adeo latus ac diffusus est vesicantium ac opii in morbis curandis vsus. Amore autem humanitatis ductus opusculum aggredior qualecunque.

Historia cantharidum naturalis.

§. 1.

Insecti genus alatum muscarum maiorum aemulum colore splendens aureo ac viridi, ligustri, cynosbati, cynoglossae, sambuci,

buci, vlmi, querci, oleaſtri, fraxini ac tritici praecipue amans, cantharidis nomine inſignitur. Ex quo cum therebinthina, cera, aliisue fiunt emplaſtra, veſicantia ſtricte dicta; quae corio praecipue vel etiam linteo inuncta, variis corporis partibus poſt leuem cutis frictionem vel ad rubedinem vsque, aceto ſcilicet, applicantur.

§. 2. Patria eſt Italia, Hiſpania, Gallia, aliaeque regiones calidiores: rarius in Germania, regionibusque frigidioribus conſpiciuntur, neque adeo venenatae habentur; dantur et maiores et minores, hae illis praeferri ſolent ad vſum medicum, quia acriores. Captae aceto necantur calido, et dein ad ſolem exſiccantur.

§. 3. Microſcopio cantharidibus explorauit, monſtrauit *Olaus Borrichius*, „horum „corpuſcula mille ſpinis inhorreſcere; vn„de ſtatuit, eas prorſus mechanico modo „operari, dum nempe aculeis ſuis haud ſe„cus atque vrticae folia ſimilibus armata „ſpinis cuticulam adurere atque in veſicu„las eleuare.“ Phaenomena vero ab iisdem in vias vrinarias aliasque corporis partes excitata ſtatim recenſenda, vix inde explicari poſſunt, ideo ad examen chemicum potius reuocandae.

Analy-

Analyſis chemica.

§. 4. Dum autem examini chemico ſubiiciuntur cantharides, dant partes reſinoſas paucas, glutinoſas plures et terreas copioſiſſimas. In parte reſinoſa vero cauſticum erodens latere, ex odore ſpecifice foetido arguitur. Deſtillatione oleum dant empyreumaticum.

§. 5. Conſiſtit autem illud acre in ſalino principio; cuius ſpecifica natura ad acidum a quibusdam, ad alcalinum volatile et vrinoſum ab aliis refertur. Sal illud nempe adeo intricatum et inuolutum haeret, vt nulla arte ſufficienter explorari queat, ſed tantum ex effectibus innoteſcat.

§. 6. Suis igitur vtrique nituntur fundamentis. Priores ſtatuunt plurima inſecta, volatilia praeſertim, ſubtili quodam acido valde cauſtico, aquae fortis aut ſolutionis mercurii ſublimati haud abſimili praedita eſſe, acidum praecipue concurrere non alcali, vt reſinae formentur. Tum etiam acidis praeſertim virtutem veſicantium intendi, non infringi vident. Ideo partes, quibus applicantur, aquam plurimis aceto prius fricare iubentur. Tandem oleum ex cantharidibus ſtillatitium, quamuis empyreumaticum foetidiſſimumque, potius ignis quam naturae eſſe productum.

§. 7. Qui contrariam tuentur ſententiam, ad repetita experimenta a *Bagliuio* et aliis demum inſtituta confugiunt, quibus patuit, cantharidibus ineſſe vim ſanguinis diſſoluendi et ad putredinem diſponendi. Vti etiam fuſius conſtabit, dum de effectu cantharidum ſiue ingeſtarum ſiue applicatarum erit ſermo. Tot enim modis vſurpantur. Et olim harum vſus internus magis quam hodie praeualebat, et prius quam externus innotuit, hodie contra magis, ſeu potius tantum vſu externo adhibentur, et non niſi raro et quibusdam agyrtis interne praeſcribuntur. Seculo elapſo ad annum 1698 edidit *I. Groenevelt* librum de tuto cantharidum vſu interno, ideoque in carcerem coniectum fuiſſe, aſſerit traductor anonymus, tractatus *Bromfield*, qui inſcribitur chirurgiſche Wahrnehmung durch *William Bromfield* p. 7 tum aſſerunt, acetum corrigens eſſe ſalis volatilis cauſtici cantharidum.

§. 8. De harum vſu interno legitur apud *Hippocratem* **): „Potionem aquae „ſubter cutem laboranti concinnatis, ſi can„tharidum trium, ablato cuiusque capite, „pedibus et alis, corpora ex tribus aquae „cyathis contrita exhibueris." Et alibi haec

*) Sect. IV. p. m. 76. De vict. rat. in morb. acut.

haec habet *): „cantharides etiam ſine alis „et pedibus tritas quatuor ex vini albi he„mina dimidia dilutas exhibeto.“ *Bartholinus* ex recentioribus quoque tincturam cantharidum vino rhenano vel ſpiritu vini paratam tanquam tutiſſimum remedium in cura gonorrhoeae virulentae, iſchuriae et calculi commendat. Cum fructu exhibuit *Blancardus* cum oleo therebinthinae ad eundem morbum ſanandum. In hydrope cum totali iſchuria praeſcriptam vidi tincturam cantharidum a veterano et celeberrimo medico Hafnienſi. Quod, num ex authoritate potius quam experientia fecerit, ignoro. Aegrota vero hoc remedii genus haud ferre potuit, iſchuria moleſtiſſima manente et inſuper ardore intolerabili fere excitato. Cl. *Schacht* ait, ſi vllibi, certe in apoplexia pituitoſa, tinctura cantharidum prodeſſe pulchre poteſt. Sufficit autem, quosdam adduxiſſe ex pluribus, qui vſum cantharidum internum laudant.

§. 9. Ad vſum vero externum quod attinet, ex Arabibus prius veſicantium vſus inuentus fuit, quo excitarent apoplecticos et morbo ſoporoſo affectos, vti habet *Oribaſius*, qui Arabum primus de illorum vſu ſcripſerat. In aliis caſibus enim veſicantium vſus nullus erat prorſus. Hodie

*) Tract. de intern. effect. §. V. p. 115.

die vero ad quoscunque morbos et ſaepe ſibi inuicem oppoſitos, vti in febribus inflammatoriis, vbi vis vitae maxima, et in ſyncope, vbi haec eadem minima, fere vſurpantur; quousque tamen recte deus tandem innoteſcet.

Phaenomena ex cantharidibus oborta.

§. 10. Ex variis experimentis in animalibus a *Bagliuio* per iniectiones tincturae cantharidum in iugulares, vti per mixtionem pulueris earundem ſanguini e venis detracto inſtitutis, patuit, ſanguinem inde prius coagulari, breuique poſt iterum diſſolui et in ſerum nigrum ſeu liuidum et vix coagulabile conuerti.

§. 11. Canes, in quibus experimenta *Bagliuius* inſtituebat ſua, vehementiſſime ſitiebant, ita vt famulus, *Bagliuio* inſcio, miſeratione ductus, vni bibendum dederit duodecim circiter aquae libras, quibus vix epotis vrinam flauam copioſiſſimam minxit, interea tamen vlulabat, ſitiebatque ſemper vehementiſſime, aqua tamen amplius bibendum denegabatur. Alteri etiam iniectio fit, et, elapſis horis duabus, linguam foris magna anxietate promebat ſitis cauſa, nihil comedere volebat, ſitiebat quam maxime, ſed ipſi nihil aqua concedebatur, vnde breui periit.

§. 12.

§. 12. Et quidem non tantum iniectione, ſed et veſicantium applicatione nihil tam cito ſuperuenire aſſerit iam ſaepius laudatus *Bagliuius*, experientiaque comprobatur, quam ſitim cum linguae ariditate quam quandoque tantam eſſe ait, praeſertim in aegris aduſti temperamenti et mente non alienata, vt quibuslibet remediis temperari non poſſit, praeter quam continuo aquae gargariſmo.

§. 13. Idem refert *Bagliuius*, canem poſt primam ſyringationem vomuiſſe aquea et viſcoſa, ſaliuam ore deieciſſe viſcidam, idem et alterum feciſſe canem, tum poſt applicationem quatuor veſicantium vomitus ſuperueniſſe cuidam coquo conuulſionibus correpto.

§. 14. Ex vſu veſicantium nemo certo non eſt, quin viderit, aliquando vrinae maximos ardores naſci, qua de cauſa quibusdam mos eſt, vt veſicantibus camphora admiſceatur, quo prophylactico hoc incommodum auerti putant. Sed non ſemper valere certo certius eſt.

§. 15. Non tantum vrinae ardores inde fieri, ſed alia veſicae mala eiusque gangraenam, verum et mictus cruentos lethales, compertum eſt. Conſilio *Montagnanae*, Medici ſuo tempore haud infimae ſortis, cantharides, genubus *Bracci* Patauini applicaban-

cabantur, mictumque ſanguinis quinque librarum excitabant. *Plinius* quoque refert, *Coſſinum*, equitem Romanum, amicitia Neronis principis notum, cum is lichene correptus eſſet, vocatus ex Aegypto Medicus ob hanc valetudinem eius a Caeſare, cum cantharidum potum praeparare voluiſſet, interemit.

§. 16. Iam ſupra dictum fuit et ab *Hippocrate* et ab aliis Medicis audacioribus, cantharides praeſcribi interne ſcopo diuretico contra iſchuriam deſperatam, hydropem immo et contra gonorrhoeam virulentam, cum vero adeo infectae ſint viis vrinariis, non facile eosdem imitari vellem, abradunt enim mucum veſicae naturalem et adeo neceſſarium pro acrimonia vrinae mitiganda, vti in cadaueribus, cantharidum ope extinctorum repertum.

§. 17. Tantam vim ineſſe cantharidibus ad languentem venerem excitandam, vt, ſi tantum aliquot granae aſſumantur, vti habet *Venetti* *), ſtatim ardores excitentur cum quadam aegritudine, et exemplum adducit cuiusdam amici, cui riualis ex deſperatione, quod amaſiam in matrimonium accepiſſet, cantharides in placenta ex pyris parata dederat, indeque tantum veneris oeſtrum excitatum fuiſſe, vt prorſus defati-

gare-

*) De hominum generatione.

garetur mulieri cohabitando, indeque circa mediam noctem tantam veretri inflammationem ortam fuisse, vt non nisi cum summo conamine vrinas sanguini mixtas emittere potuerit, tum ex metu forsan in leipothymiam incidisse, tamen optimis auxiliis e tanto periculo euasisse.

§. 18. Foedissimas satyriases inde ortas refert iam saepe citatus *Bagliuius* nomine cabrolii, qui duas inde historias lethales habet. Salacibus igitur viris minime conducere vesicantia recte concludit.

§. 19. *Sauuage* ait *), libidinosos, qui hoc phyltro vtuntur ad venerem excitandam, incidi in mortis periculum, ibidemque ad notam fini paginae appositam legitur, vetulam homini venere languido consuluisse, vt drachmam dimidiam pulueris cantharidum assumeret cubitum iturus, indeque misero tantum priapismum excitatum fuisse, vt vxorem octoginta vices vna adiret nocte, moriebatur vero postero die vel venere exhaustus, vel veneno cantharidum dissolutus. Similis casus habetur in ephemeridibus naturae curiosorum. Empyricus nempe gloriabatur, se omnes posse morbos curare, consulitur et ad auri illecebras allicitur, vt homini nobili pristinum vigorem in veneris militia restituere vellet.

*) Nosol. method. tom. I. p. 731.

vellet. Praeſcribit igitur huic propoſito ʒij cantharidum cum mixtione pulueris viperarum et radicis ſatyrionis. Remedium promptiſſime operabatur, ex citato veneris oeſtro cum priapiſmo continuo, ſcroti tumore, mictuque cruento, ex quibus ad finem vndecim dierum periit.

§. 20. Variis in locis refert *Bagliuius* aliique ſcriptores, ex veſicantibus applicatis ſudores erumpere, ſed praecipue obſeruabantur vniuerſales, copioſiſſimi, acidumque olentes in iuuene pleuritico, veſicantibus appoſitis, in aliis frigidi erant. Largos quoque ſudores ex vſu cantharidum interno erupiſſe legitur. In incolis Hungariae ſuperioris quibus vtuntur, vt certam hydrophobiae ſpeciem curent *); in pleuritide epidemica per ſudorem eruptum profuiſſe, pulſu et paruo et debili exiſtente, patet ex actis Edimburgenſibus.

§. 21. Phlegmones moleſtiſſimae et refractariae obortae fuere nobili foeminae arthritica ſtirpe oriundae, cui ob oculos male affectos veſicans ad nucham applicari iuſſeram. Pariter et ob eandem cauſam ex alio nuchae quoque adhibito mulieri cacochymia obeſa praeditae, vlcus ſatis profundum gangraenam fere minitans, dein diu admodum ſuppurans obortum fuit.

§. 22.

*) Cartheuſ. fundam. Mat. med. p. 436. 437.

§. 22. Hiſce vero miſſis factis, quae praecipue ab vſu cantharidum interno, num dierum obſoleto fere proueniunt. Tutiora enim et potiora poſſidemus medicamenta, quam illud acre nimis ſtimulans, neruos excitans, humores exagitans, diſſoluens valde et per vias vrinarias euacuans, vel ad corporis peripheriam ducens, ad harum vſum externum ſeu veſicantium applicationem variis corporis partibus gradus faciamus proximos.

§. 23. Horum vſus late hodie patet; indiſcriminatim enim et in quam plurimis morbis adhibentur, in calidis nempe, febrilibus, non febrilibus frigidiſue. Cum reuera maxima hic requiratur cautio et nonniſi vrgente neceſſitate, vbi pulſus debilis et vis vitae deficit, in frigidis ergo tutius quam in calidis, vti ex dictis et infra adhuc dicendis magis conſtabit, locum habeant.

§. 24. Effectus ſenſibiliores veſicantium per aliquot horas cuti adhaerentium ſunt, eandem rubefacere, ſtimulare, motum oſcillatorium augere, in veſiculas attollere, lympham ex loco proximo extrahere et ex remotioribus vel nobilioribus partibus allicere et ad ignobiliora ducere. Euacuationem ſuppreſſam vel denuo excitare, vti multo-

multoties expertus fui in pleuriticis, quod expectorationem ſuppreſſam hiſce denuo excitauerim, ſicque aegros ab orci faucibus liberauerim: vel eam vicaria ſupplere, vti in ſcabie repulſa et morbis inde ortis ſaepius vidi, quae omnia ſtimulando et neruis ſtupidis motum inducendo facit, et quidquid in morbis boni praeſtabit, ex dictis effectibus deducendum.

Morbi conuulſiui.

§. 25. Cum conuulſiones, morbi hyſterici, epilepſia, nimis frequenter occurrant, in quibusque etiam medici prae caeteris veſicantia applicanda cenſeant, de horum vſu vel abuſu in his morbis primo loco placuit agere.

§. 26. Conuulſionum eſſentia conſiſtere videtur in inuita et violenta contractione et relaxatione reciproca muſculorum, quae in maiori gradu, et vbi ſimul adeſt ſenſuum abolitio, epilepſia: et in minori multo autem, dum praecipue in fibris muſcularibus canalium et vaſorum tunicas inueſtientibus fit ſpaſmus, ſiue ſtrictura ſpaſmodica adeſt.

§. 27. Conuulſio igitur ſupponit ſemper maiorem et irregularem valde ſpirituum influxum in neruos, qui etiam augetur et copioſior euadit, ab omni irritante, ſtimulante et vim vitalem excitante, quo

equi-

equidem veſicantia referrenda. Horum applicatio ergo in hiſce morbis altioris videtur indaginis.

§. 28. Cauſae occaſionales ergo recenſendae et videndum, num in his ratio ſufficiens inueniatur pro veſicantium applicatione. Referruntur vero ad repletionem, inanitionem et irritationem.

§. 29. Repletio dicitur, vbi adeſt copia boni ſanguinis, pituitae accumulatio, ſaburrae in ventriculo ſtabulantis; ſeri abvndantia, excretionum retentio, vlcerum et fonticulorum conſolidatio, per quas materiae certa quantitas quotidie euacuari ſolebat.

§. 30. In inanitionis claſſe, haemorrhagiae, vomitus, alui fluxus diuturnus, ſudor diabetes, venus nimis culta, labores mentis et corporis, vigiliae, inediae etc. ponuntur.

§. 31. Ad irritationem ſpectant animi affectus, dolores, ſpaſmi hypochondriorum, vulnera, neruorum laeſiones, remedia acria, venena: effluuia odorifera neruis contraria, acrimonia varia, vermes calculi, dentitio.

§. 32. Veſicantium applicatio in convulſionibus et epilepſia ex tribus hiſce cau-

 ſis

ſis genericis aliquando locum habent, ſaepiſſime vero non. Si enim conuulſiones fiunt a plethora, venae ſectio optimum erit remedium, veſicantia, priapiſmi, purgantia aliaque huiuscemodi remedia. Stimulantia non vult adhiberi *Bagliuius* in corporibus ſucci plenis plethoricis et nimia humorum copia repletis, niſi prius deplentur vaſa per ſanguinis miſſionem, ſi indicata fuerit, vel per diaetam ſeueriorem.

§. 33. In conuulſionibus a pituita et cacochylia in primis viis, nihil praeſtantius emeſi et catharſi. Vbi vero alicubi ſtagnat ſerum et accumulatur, humidum acre aliquamdiu euacuari ſolitum, quod nunc retinetur, vti in tinea capitis et fonticulorum conſolidatione improuida, ibi tantum locum habent, vt illud noxium eliminetur et a parte nobiliori auellatur.

§. 34. Commendatur a *Boerhauio* et ab illuſtriſſimo eius commentatore *van Swieten*, epiſpaſticum in conuulſionibus ſcopo humores deriuandi a capite ad alias partes, vel per aperturas artificiales noxio retento viam parandi, ſic videtur, dum infantibus capitis cutis manat ichorem bene ſe habent, illo fluxo autem coercito frigidis lauamentis, vti refert de ſuecis celeberrimus *Roſeſtein*, epileptici fiunt, nec curantur niſi denuo

nuo ille ichoris fluxus redeat. Ideo aliquando praeſcribebat illuſtr. vir emplaſtrum, cuius decima pars ex cantharidibus conſtabat capitique applicabat, vt fluxus rediret; ſicque liberabatur infans ab epilepſia *). *Araeteus* quoque tali in caſu cantharides capiti applicari iuſſerat. Eodem intento naturam interdum viam monſtrante epilepticos per vlcera manantia curari, *Wepferus* et *Tiſſot* commendant veſicantia in epilepſia. *Morgagni* ex ſarao obſeruationem refert epilepſiae curatae veſicantium ope in puero quinquennio diu hoc morbo laborante **).

§. 35. In ſecunda claſſe vix locus veſicantibus, cum enim humores diſſoluant, an non haemorrhagiae copioſiores inde fierent? Vomitus et deiectiones aluinas foetidiſſimas ex vſu veſicantium annotauit ſaepius laudatus *Bagliuius*, ſudores ex iisdem excitari ſupra diximus. Quid vero veſicantia ad conuulſiones ex diabete et venere nimis culta? An non id eſſet oleum camino addere? Tum irritantia vſurpare vbi animus et corpus labore, inedia, vigilia exhauſta, crabrones irritare eſſe nemo non dubitat. Sic etiam *Bagliuius*, „vbi ſuſpi„cio conuulſionum eſt vel factae iam ſunt,

 „cauen-

*) Tom. 3. cap. de epilep. §. 1081. pag. 442. 443.

**) De Sed. et cauſ. morb. epiſt. 10. §. 8. p. 77.

„cauendum omnino ab vſu veſicantium,
„praeſertim ſi aderit febris acrior et colli-
„quatiua ſanguinis conſtitutio, cum habi-
„tu gracili, praecedentibus vigiliis, diaeta,
„exinanitionibus per vſum veneris."

§. 36. In conuulſionibus tertiae ſpeciei poſſunt quidem magnam habere vtilitatem veſicantia, ſi reuellere eſt animus et impetum humorum ad caput in alias partes remotiores deriuare, vti in doloribus magnis ad ipſam partem affectam applicata; in infantum dentitione ad ſuras. In vermibus vero et calculo inutilia ſunt. In venenis circumſpecte adhibeantur, cum vis cantharidum deleteria in ſanguine diſſoluendo certo certius conſtet. Huc pertinet quod habet *Bagliuius* de his, qui lue gallica ſemel laborarunt, qui „ab adhibitis veſicantibus
„ſummopere laeduntur, in quocunque de-
„mum morbo adhibebantur, vnde non ni-
„ſi in maximis ſanguinis coagulationibus
„et morbis ſoporoſis, ad tales aegros prae-
„ſcribantur et etiam cum cautione." Adhibui tamen aliquoties, vbi iisdem ex ſalivatione copioſa et glandularum ſuffocationis periculum aderat nuchae, absque vllo incommodo inde ſenſibili.

§. 37. In neruorum laeſionibus et vulneribus capitis praeſertim ſuſpecta ſunt et

Bagli-

Bagliuio quam maxime damnantur; dum ait: „qui grauiter vulnerati capite fuerunt, „cum vomitu, abolitione ſenſuum aliisque „grauibus laeſi cerebri ſymptomatis, dum „illis applicabantur veſicantia, nonnulli „vehementiſſimis conuulſionibus corripie„bantur, paulo poſt applicata veſicantia, „alii ſudoribus frigidis, quibus ſuperuenie„bat mors, paucis interiectis horis aut die„bus: alii ſequente nocte moriebantur con„vulſi: memini quendam torminibus ſpas„modicis infimi ventris cum febri etc: „moleſte laborantem, poſt adhibita in xe„nodochio veſicantia, excreuiſſe per ſeceſ„ſum inſignem, copiam ſanguinis rubicun„diſſimi et paulo poſt periiſſe etc. Cum „igitur ſaepius atque ſaepius in grauiter ca„pite vulneratis, ab adhibitis veſicantibus „obſeruauerim aut conuulſiones lethales, „aut mala alia ſupra dicta, impoſterum ſem„per ac videbam in xenodochio talibus ap„plicari veſicantia, intrepide ſtatim praeſa„giebam adſtantibus, aut vehementiſſimas „conuulſiones aut mortem, vti euenie„bant." Haec vero in aëre romano forte frequenter eueniebant, in noſtris climatibus enim nemo ambiguit de vſu veſicantium in capitis vulneribus cum ſenſuum abolitione, vbi liquoribus extrauaſatis effluxus concedendus.

§. 38. In epilepſia infantum a difficili dentitione ſolam ſanguinis miſſionem laudat *Sydenhamus* addens, „ſolam in dicto affe„ctu ſpecificis quibusdam vel decantatiſſi„mis, quae hactenus innotuere, longe eſſe „anteferendam, quorum nonnulla aduen„titio calore nocent etiam et dum occulta „aliqua proprietate morbo aduerſari cre„duntur, manifeſto calore eidem militant, „atque aegrum ad plures deducunt." Quis non videt, haec omnia certe de veſicantibus potius, quam de quouis alio remedio dici poſſe? Ratione inflammationis minuendae commendantur quidem hic veſicatoria a quibusdam, ſed certe hic fere nihil iuuat niſi dentis eruptio per prudentem gingiuarum inciſionem. Ideo nec a *Sauuage* nec a *Roſeſtein* de epiſpaſticis in conuulſionibus a dentitione nulla fit mentio.

§. 39. Ex dictis igitur concludere licet nullum locum dari veſicantibus in morbis conuulſiuis, niſi vbi cauſa morbi latet in latice ſeroſo alicubi ſtagnante, et vbi a cauſa frigida et mucoſa conuulſiones natae, vt ſic latex ſeroſus a neruoſo genere ad partes ignobiliores deriuetur. Ideo recte a *Mead* non praeſcribuntur in epilepſia, vtpote potius, „ventriculi quam capitis morbo „grauato, nempe bilioſa vel viſcida collu„vie inteſtino, ibique fruſtra eſſe remedia

„quae-

„quaecunque niſi prius Ipecacuanha aut „alio quodam vomitiones excitante medica- „mento, onere ſuo leuatum fuerit viſcus *).“ Commendanturque alibi quidem et exemplo *Panaroli* et authoritate *Celſi* **) vbi ſeroſa abundat colluuies, vt ſic caput depleatur; in aliis caſibus quamplurimis enim ſiue irritando ſiue orgaſmum excitando vel alio quocunque modo laedendo, plus damni quam emolumenti afferunt; et non niſi ex praeiudicio vulgi interdum in deſperatis praeſcribenda, vt nihil praetermiſſum videatur. Sic etiam in morbis hyſtericis et leypothimiis, vbi vis vitae admodum infringitur, veſicantia licet ad ſuras apponere.

Vertigo.

§. 40. Primum omnium morborum cerebri incipientium et vltimum iisdem curatis remanens ſymptoma vertiginem eſſe omnes fere medici teſtantur. Conſiſtit autem in apparente rotatione obiectorum quieſcentium, neque raro cum lapſus metu, quas ſupponit confuſio et perturbatio ſpirituum animalium in cerebro, neruos opticos non niſi tumultuarie et perturbate influentium, ita vt retina e ſua dimoueatur ſede.

*) Monit. med. p. 37.

**) De imper. ſol. et lun. in corp. hum.

§. 41. Talis cerebri et neruorum dispositio inducitur 1) a plethora et sanguinis euacuationibus naturalibus et artificialibus suppressis et neglectis, quae vel remediis aptis reuocandae, vel vicariae instituendae per sanguinis missiones repetitas et hirudinum applicationes. 2) A primarum viarum sordibus variis, crapula, cacochylia, vermibus, bili, quae irritando vel premendo liberam in encephalo sanguinis circulationem inhibent; remedia hic optima emetica, cathartica, anthelmintica. 3) Ab euacuationibus quibuscunque nimiis spirituum inopiam et debilitatem summam inducentibus. Hic requiruntur analeptica, replentia, diaeta, eupepta; tum roborantia sic dicta medicamenta, martialia puta, cortex peruuianus, equitatio et corporis exercitium varium. 4) A compressionibus infinitis et tumoribus: extrauasationibus caet. arte chirurgica, si vllo modo, certe remouendae. 5) A venenis variis ingestis, opio sc., nicotiana, mercurio, carbonum fumo, exhalationibus putridis, spirituosis, inebriantibus et cantharidibus, quibus prae caeteris vim inesse specificam ad vertiginem producendam ait *de Gorter* *), quae specificis oppugnanda, opium nempe nicotiana spiritus inebriantes,

*) Med. Dogmat. p. 127.

tes, putridae exhalationes acidis; carbonum fumus aëre libero, mercurius sulphure, marte, decoctis sudoriferis; cantharides lacticiniis, camphora, gummique arabico. Tandem 6) a serosa colluuie et vario miasmate rheumatismi, scabiei, puris per ulcus vel fonticulum diu apertum, consolidatum nunc. In vertigine a tali causa tantum locum manere videtur vesicantibus et deriuandi et euacuandi scopo: vel pituitae inertis soluendi gratia stimulando et irritando. Quantum enim, vti habet *Baglivius*, in constitutione sanguinis acri et colliquatiua obsunt vesicantia, tantundem conferunt in diathesi eiusdem massae viscida et ad coagulationes stagnationes, se disponente. In caeteris speciebus epispastica ex animalium partibus quidem parata, quae valide attrahunt, potius plantis pedum applicanda, suadente *Boerhauio*; equidem et haec nihil praestabunt, nisi forte in vertigine a plethora, in qua reuera a cl. authore commendantur praestitis praestandis. Sed et praeiudicio vulgi in aliis speciebus quoque satisfaciendum, vt nihil omisisse videatur. Balneis tepidis et pediluuiis quoque sua non deneganda laus, vitatis quam cautissime omnibus, quae sanguinis motum versus caput vrgent, vnde merito sternutatoria a doctioribus reiiciuntur.

Apoplexia.

§. 42. Apoplexia, ſub qua caeteri comprehenduntur morbi ſoporoſi, qui non niſi gradu minori differunt, febri aliquando comite, vti in caro aut lethargo, eſt ſenſuum tam externorum quam internorum ſubita abolitio, ita vt homo quaſi ictu percuſſus iaceat in terra, ſpiritum moleſte trahens et pulſu vtplurimum ſuperſtite.

§. 43. In talibus affectibus vtplurimum veſicantia commendantur et ſuris capitique raſo applicanda, vt aegri ſtimulo acri a profundo excitentur ſomno. Verum enim vero ab aliis nonniſi magna cum cautione adhibentur, et ab aliis tandem prorſus vel reiiciuntur, vel omittuntur.

§. 44. Vt autem hiſce controuerſiis aliquam lucem affundamus, et ex hac perplexitate aliquid veri eruamus, cauſae morborum comatoſorum enodandae.

§. 45. Cauſa proxima igitur conſiſtit in impedito influxu fluidi neruei a cerebro in neruos, quam occaſionales agnoſcit varias et non raro ſibi inuicem valde oppoſitas, reducendas tamen ad 1) plethoram et maiorem ſanguinis copiam circa caput praecipue congeſtam. 2) Seroſam et pituitoſam colluuiem etiam ad encephalon accumulatam. 3) Compreſſiones infinitas circa

ea venas iugulares cerebrumque. 4) Extrauasationes siue sanguinis siue seri ventriculos cerebri replentium. 5) Retenta excernenda et per metastasin ad caput delata. 6) Narcotica et venena opiata. 7) Tandem ad consensum diem ex alio oritur morbo apoplexia sympathica.

§. 46. Sed maioris commodi ergo divisere authores apoplexiam in serosam et sanguineam, quamuis non recte, cum dentur tot, quot causas enarrauimus. Iam ergo videndum, quousque locum habere possunt vesicantia in singulis apoplexiae speciebus.

§. 47. In plethora sola tanquam causa apoplexiae oppugnanda nihil praestantius esse venae sectione repetita; catharticis, antiphlogisticis, epithematibus refrigerantibus capiti applicatis, nemo inficias ibit. E-contra stimulantia calida, e quorum numero vesicantia nemo adimet, nocere facile quis credet? ideo in sanguinea apoplexia nonnisi copioso sanguine euacuato, venae sectionibus, scarificationibus, arteriotomia, tandem commendat *Ludwig* vesicantia suris applicanda. Vesicatoria etiam ad partes inferiores apponenda vult *Schacht* *) in apoplexia sanguinea, sanguine prius educto per venae sectiones in pede, brachiis, ve-

na

*) Instit. med. pract. p. 94.

na iugulari, per arteriotomiam, ſcarificationes et hirudinum applicationem.

§. 48. Omnem curam apoplexiae pendere ait *Tiſſot* *), ex imminuta preſſione encephali per euacuationes inſtitutas, dein forſan et irritamenta, et ſtimulantia aliquid boni efficere: antea vero exhibita multum damni afferre, et purgantia fortiora, immo et pedum frictiones, ruborem et congeſtionem ſanguinis circa caput auxiſſe aſſeritque a *Boerhauio* et a *van Swieten* nunquam niſi cum magna cautela commendari in hoc morbo, neque ipſum iisdem nunquam vſus fuiſſe in apoplexia ſanguinea, neque adhuc occaſionem habuiſſe poenitendi.

§. 49. Veſicantium igitur vſus magis probatur in apoplexia a ſeroſa colluuie, pituitaue encephalon premente, vel a metaſtaſi alicuius acris ad caput delati. In ſeroſa apoplexia veſicatoria ampla et largius inſperſo cantharidum puluere efficaciora reddita ſuris applicari vult *Ludwig*, vt ſerum abundans eiusque decubitus ad ſuperiora organa et cerebrum factus inde deriuetur atque euacuetur.

§. 50. In apoplexia a metaſtaſi humorum ad caput congeſtorum commendantur

*) Abhandl. über verſchiedene Gegenſt. der Arzeneywiſſenſ. 161. 162. 163.

tur vesicatoria ad partes remotiores, tanquam semper necessaria, a *Sauuage*, cum in sanguinea nullam de iis habeat mentionem.

§. 51. Vt pressio glutinosi a capite auertatur, deriueturque ad alia et opposita loca, laudat *Boerhauius* vesicantia pedibus, cruribus et femoribus applicanda in pituitoso lentore. Additque ill. eius commentator „in hac apoplexiae specie, in qua iners „pituitosa sanguinis cacochymia adest, tutio„rem cantharidum vsum esse, quam vbi ad„est inflammatoria diathesis, vbi maiori „tantum cautela laudari debent.“

§. 52. Sunt vero quidam qui volunt applicari vesicantia capiti, vti parti principi affectae sc. vt lentor in cerebo et in toto corpore soluetur. Inter hos principes sunt *Boerhaue*, *van Swieten* et *Wepferus*. Sed non paruam hic requiri cautionem patet attendenti, ab omni stimulo maiorem fieri affluxum ad partem, ergo caput inde magis replebitur et vasorum compressio existet magna. Ex hac enim de causa et emetica et venae sectionem iugularium a quibusdam nonnisi magna cum circumspectione probantur, metu ne inde malum augeatur, materia magis mota et impacta. Recte igitur *van Swieten*: „est sententia cl. praeceptoris; vult omnia prius inferioribus corporis partibus applicari, sc. vt minuta resistentia

laterum

laterum vaſorum hae partes plus turgeant humoribus, adeoque minor copia liquidorum ſuperiora petat.“ Dein vero capiti applicanda cenſet.

§. 53. *Tiſſot* econtra potius abſtineri vult topicis veſicantibus, ſibi videns, inde potius excitari quam curari apoplexiam. Iisdem enim ſanguis verſus caput mouetur, aſſeritque, ex veſicatorio capiti applicato mulieri apoplecticae poſt euacuationes debitas inſtitutas, inflammationes faucium, febrem intenſam, ſomnolentiam auctam, inquietudines ſummas et mortem tandem ſequuta fuiſſe.

§. 54. Nullam aliam partem citius affici quam caput, obſeruauit *Bagliuius* in duobus canibus, quibus in iugularem iniiciebatur tinctura cantharidum: nutabat enim ſtatim et ad inferiora inclinabat, rectaque ceruice ſtare non poterant. Exindeque deducit, cantharides eſſe potiſſimum capiti infeſtas; adeoque non commendantur veſicantia ab illo in apoplexia, aitque ſe obſeruaſſe in „xenodochio anno 1694 „hyemali tempore Romae, quod, quando „apoplexiae erant grauiſſimae et iam con„firmatae, veſicantia non admodum confe„rebant, immo fere tales aegroti morie„bantur.“ In vtraque apoplexia et ſanguinea

guinea et ſeroſa nulla veſicantia commendat *Home*, ſed epiſpaſtica, qualia cum balneis tepidis deriuandi gratia laudat *Tiſſot*.

§. 55. Apoplexia ex tumoribus internis, oſſium intropreſſionibus, ſanguine aliisque humoribus per vaſa rupta extrauaſatis, vix curabilis cenſetur, niſi forte dextra chirurgi et trepanationis ope, vbi tali auxilio locus. Veſicantia equidem minime auferrent effuſum laticem intra cranium et intra cerebri lobos. Si forte quid ſperandum ex venae ſectionibus repetitis, ſi ſanguis et ex draſticis laticem aquoſum reſorptum per ſeceſſum euacuando, exit.

§. 56. Apoplexia ex venenis et narcoticis per emetica et antidota propria curanda. Opiatorum corrector ſtrenuiſſimus eſt acetum. Tandem per conſenſum productae apoplexiae medendum morbo primario curato. Patet ergo ex dictis, vſum veſicantium in apoplexia curanda valde limitatum eſſe multumque moderari debere, et vix eisdem dari locum, niſi in ſeroſa et pituitoſa colluuie, vaſis integris et in metaſtaſi cuiuscunque acris ad caput delati.

Paralyſis.

§. 57. Partis cuiuscunque immobilitas neque raro inſenſibilitas a laxitate et flacciditate

ditate mufculorum partem mouentium oriunda paralyfis ideam abfoluit. Cuius effentia confiftere videtur in influxu fpirituum animalium, vel et fanguinis arteriofi impedito in mufculos paralyticos.

§. 58. Ratione ftimuli motum ofcillatorium villorum excitantis, ergo et maiorem fpirituum influxum in neruos producentis, vti et fanguinis motum per vafa irritata ad contractionem augentis, maximi vfus hic effe veficantia, vti et alia ftimulantia paffim commendata, qualia habentur frictiones, vrticationes, thermae et ignis electricus, qui faepe maximo cum commodo tentatus fuit, nemo dubitat. Cum vero ex varia faepeque oppofita caufa fiat aliquando paralyfis, nihil generale ftatuere licet.

§. 59. De inutilitate, immo de damno a veficantibus in morbis ab abundantia fanguinis, cui etiam, quamuis raro, paralyfis aliquando fuos debet natales, plethora neruos comprimente, nihil opus eft dicere, cum iam faepius diximus. In vaforum econtra magna inanitione et fpirituum defectu ex replentibus cibis eupeptis et roborantibus, omnis cura fpectanda, tumores varii comprimentes dextra chirurgi auferendi.

§. 60. Veficantia topica ergo nunquam rectius adhibentur, nifi in paralyfi ab humiditate

ditate aëris nimia, ſeri abundantia, pituitae lentae et nimia fibrarum atonia. Horum enim ſtimulo fibrae irritantur, pituita ſolvitur, ſerum abundans euacuatur, humiditasque ſuperflua exſiccatur, praeſertim cum, vti dictum, ab vſu veſicantium ſaepiſſime ſudor prorumpat, nec inutilis erit prorſus horum vſus in paralyſi, a veneno vel ingeſto vel applicato, vti fit in metallicolis, primo praecipue emetica exhibita validiora, et purgantia fortiora, vt veneni reliquia partim per diaphoreſin, partim per diureſin, partimque tandem per ipſam veſicam a veſicatorio excitatam, de corpore eliminetur.

Delirium.

§. 61. Idearum ortus non reſpondens cauſis externis cerebro male diſpoſito delirium dicitur. Talis conditio aliquando in vita occurrit febri plus minus acuta comite, vel febri prorſus abſente, eſtque in genere duplex: mite ſatis, vel cum furore coniunctum; poſterius ſi febris abeſt mania, ſi haec vero adeſt, phrenitis dicitur et nonnunquam hydrophobia, quamuis a cauſa prorſus peculiari. Prius ſine febri, melancholia, deſipientia, cum febri delirium ſimplex vocatur. De hoc autem, cum febrium variarum putridarum, neruoſarum praecipue, ſit ſymptoma, alio agetur loco: de cae-

 teris

teris speciebus vero hic, et primo quidem de phrenitide.

§. 62. Phrenitis igitur est delirium cum furore febrique intensissima comite, ab inflammatione cerebri ipsius; membranarum cerebrum inuestientium vtrarumque. In hoc morbo ergo magnus adest humorum orgasmus; sanguinis nimia copia circa caput accumulatio, indeque spirituum influxus admodum perturbatus.

§. 63. Omnibus viribus annitendum est, vt vasa encephali depleantur et humores a capite ad partes remotiores deriuentur. Quod optime fit per venae sectionem largam repetitamque ad animi deliquium vsque, cucurbitales, epispastica in inferioribus corporis partibus applicata, pediluvia et manuum lotiones. Immo et epithemata refrigerantia capiti adhibenda raso, quibus fiat lenis repulsio.

§. 64. Longe diuersa est igitur haec methodus medendi illorum, qui vesicantia iubent applicari capiti nudo. Ex his enim sanguis magis versus caput attrahitur, humorum orgasmus vehementer augetur, indeque conuulsiones fieri et mortem accelerari obseruauit *Bagliuius* in delirantibus cum febri acuta et lingua arida, dum apponebantur vesicantia in xenodochio; quibus repetitis, euentibus perterrefactus, postea felici-

feliciter vſus eſt remediis diluentibus, emulſionibus refrigerantibus et ſectione venae frontis in caſu ſupradicto. Idem annotavit, veſicantia interdum ob inſignem, quem excitant, dolorem delirium iam factum adaugere, imminens vero accelerare, tandemque concluſit: delirantes ab vſu veſicantium plus mortuos eſſe, quam ſanatos.

§. 65. A veſicantibus abſtinendum vult *Quarin*, *Swieten* et *Boerhauius*, qui tantum epiſpaſtica leuia commendat et ad inferiora appoſita in phrenitide, vt impetus ſanguinis a ſuperioribus verſus haec loca deriventur. Monetque illuſtriſſimus *van Swieten* in ſuis commentariis ad hunc locum, cauendum eſſe interim, ne inferioribus corporis partibus applicentur talia, quae motum humorum per totum corpus acriori ſtimulo incitare poſſent. Patet ergo, non manere locum veſicantibus in hoc morbo, ne quidem ad ſuras, ne dicam capiti vel nuchae, niſi vbi pulſus valde debilis inaequalis vel intermittens, vti paulo ante citatus habet *Quarin*, tum et forſan capiti applicare licebit veſicantia, et maximi erunt vſus, vti fuere in epidemia Londini graſſante anno 1739. 1740. 1741. et 1742. vti refert *Beniamin Goock* *). Pergo iam ad hydrophobiam.

*) Medical and chirurgical Obſeruat.

§. 66. Delirium in initio ſatis lene, dein rabioſum cum auerſione et metu potulentorum ex morſu animalis rabidi, hydrophobia vocatur.

§. 67. Omnes medici in hoc conueniunt, quod malum ad ſummum gradum euectum, ſc. dum virus ſanguini mixtum iam eſt, nulla arte medicabile ſit, nec ſpecificis et decantatiſſimis remediis, nec ipſis cantharidibus interne vi diuretica ab *Etmullero* laudatis cedat; ſed morte ordinarie terminetur miſerrima.

§. 68. Tota cura eſt ergo prophylactica tantum, in eoque conſiſtit, quod humores ab infectione arceantur, quodque fit, dum varia acria ſtimulantia ad locum demorſum apponuntur, quibus vulnus diutiſſime apertum ſeruetur, quotidieque copioſum ſtillet pus. Sic enim impeditur, ne humor infectus ſanguini communicetur. Huic ſcopo quam aptiſſime quadrant veſicantia fortiora, quae promptiſſime veſicas eleuant, et virus lymphae immixtum euacuant.

§. 69. Mania et melancholia, quae gradu tantum ab inuicem differunt et vt plurimum ab iisdemque cauſis fere oriuntur ſimul conſiderandae. Pendunt enim vel a plethora, ſanguinisque motu immoderato, copia bilis, vigiliis protractis, excretionibus

tionibus naturalibus vel artificialibus ſuppreſſis, virium proſtratione poſt varias euacuationes, variosque morbos, vti poſt febres intermittentes refractarias valde obſeruauerat *Sydenhamus*, profundis meditationibus, cerebrique ſiccitate, tandem metaſtaſi varia et acrimonia humorum ad cerebrum delata.

§. 70. Remedia hic probatiſſima et pro varietate cauſarum varianda ſunt. Venae ſectiones repetitae, emetica, cucurbitulae, epiſpaſtica ad partes inferiores, pediluuia, balnea et capitis frigida lauatio, quibus impetus verſus caput minuetur et ad remotiora deriuetur. Tum ad roborantia et analeptica in mania illi a *Sydenhamo* ſimillima deſcripta. Tandem opium in agrypniis.

§. 71. Vſus veſicantium non ita communis eſt in hoc morbo, nec adeo laudatur ab authoribus; nec immerito quidem, cum maniaci vt plurimum in venerem ſint admodum procliues, materia atrabilaria, viſcera abdominalia infarciente. Haec igitur damnoſiſſima eſſent, vti de horum vi aphrodiſiaca concludere licet, niſi vbi acre quid a cerebro deriuandum ad extrema corporis, vel ſcopo euacuandi et debilitandi magis poſt repetitas venae ſectiones. In mea praxi equidem raro iisdem vtor et

potius, vt aliis placeam, quam quod inde quid boni ſperem, teſtorque, me ſaepius maniacos ſine veſicatoriis, quam iisdem appoſitis curaſſe.

Dolor.

§. 72. Moleſta ſenſatio ineffabilis a diſtenſione fibrillae nerueae, rupturae proxima, ideam abſoluit doloris, qui pro varia parte, quam occupat, varia ſortitur nomina. Infinitas agnoſcit cauſas, ſed praecipue conſiſtit in acri quid neruos pungente, et ad praedictam diſtenſionem inducente.

§. 73. In maximis doloribus venae ſectio requiritur, vt, copia ſanguinis imminuta, ſpaſtica contractio et criſpatura relaxetur, ne a continua diſtractione inflammatio et maius malum oriatur, vbi dolor non adeo magnus, ſuperuacanea erit ſanguinis miſſio, opiata in internis, cataplaſmata, oleoſa fomenta, in externis praecipua cenſentur remedia. Sed ratione veſicantium ſpecifice magis de doloribus topicis agendum, et inprimis de cephalalgia ſeu capitis dolore, non tanquam febris ſymptomate, ſed tanquam peculiari morbo conſiderato.

§. 74. Eſt igitur idiopathica, ſympathica, metaſtaticaque; idiopathica, ſi cauſa morbi in ipſo encephalo, vti vermes, ſcirrhi,

rhi, abſceſſus etc. tum ferme eſt continua habitualis et curatu difficillima.

§. 75. Sympathica, ſi ab alio morbo et, vt plurimum, a malo affecto ventriculo, inteſtinis caeterisque digeſtionis organis, tunc conueniunt, emetica, catartica, anthelmintica, roborantia, cortex peruuianus, aquae minerales, carminantia, et potus caffe.

§. 76. Metaſtatica, ſi ſerum acre, vel tumor rheumaticus arthriticuſue ad caput defertur, quando praecipue conducunt pediluuia, capitis frictiones pannis laneis, epiſpaſtica ad nucham, et demum ad ſuras veſicantia, vt humor remotius a capite deriuetur, et de corpore eliminetur.

§. 77. Dolor aurium acerrimus aliquando cum febri intenſa et ab inflammatione organi auditus, vel eiusdem abſceſſu proueniens; non raro etiam ſine febri et a vermibus, acrique quid illapſo, vel ſeroſa et catharroſa accumulatione. In medelam requirit venae ſectio repetita, cataplaſmata emollientia, opiata externe adhibita, vermium lacte tepido eductio corporis extranei, puriſue arte chirurgica extractio. Tandem et veſicantia nuchae et ſcapulis adhibita, vt ſerum ſuperfluum ad partes remotiores ab encephalo deriuetur, quae et in aurium inflammatione locum habent;

poſt euacuationes ſanguinis neceſſarias, febrimque vtcunque mitigatam ſcopo lentoris phlogiſticae reſoluendi et attenuandi.

§. 78. In odontalgia quoque nulla habita ratione ad morbi cauſas, inflammationem nempe gingiuarum, perioſtei, dentium eroſionem et cariem a vermibus, acribuſue quam plurimis: catarrhum ſeroſamque defluxionem dentibus ſanis et integris; veſicatoria nuchae et pone aures adhibentur, cum reuera nullibi aptius quadrent, quam in dentium dolore ab vltima cauſa aſſignata orto, vt ſerum ſubducatur. Quid enim melius in inflammatione, quam ſanguinis miſſio et alui ſubductio? Quid in carie dentium, quam eorundem euulſio? vel forſan plumbo repletio?

§. 79. Dolor atrociſſimus nunc fixus, nunc vagus in articulis et partibus muſculoſis, cum vel ſine febri rheumatiſmus dicitur, qui aliquando eſt cum tumore, aliquando vero ſine tumore apparet.

§. 80. Methodus antiphlogiſtica quam maxime commendatur. Venae ſectione ſcilicet repetita interdum lenita diaphoretica, cathartica mitiora, vt humores euacuentur acres, decocta antiuenerea, remediaque antiſcorbutica, tandem, hiſce fruſtra tentatis, veſicantia parti dolenti imponenda volunt

ſunt plurimi doctique in arte viri, vt ſerum acre educetur.

§. 81. *Monro* annotauit, veſicantia citius iuſto applicata vehementiſſimam inde oriri inflammationem, nec niſi febri ad iuſtum moderamen redacta locis dolentibus latum veſicatorium adpoſuit *Störk.* A *Boerhauio* laudantur et a *Swietenio* commendantur febri penitus ceſſante vel ſaltem longe mitiori facta.

§. 82. Vbi pulſus inaequalis intermittens valde debilis vel ſubſultus tendinum, ſopor, oculorum caligo adſunt, amplum veſicans ad nucham, femora et brachia quantocius apponenda.

§. 83. In rheumatiſmo, cum ſcorbuti ſymptomatibus ſtipato, cautius cum veſicantibus mercandum; gangraenam enim facile inducere poſſunt.

§. 84. In rheumatiſmo a ſcabie repulſo quam optime valet veſicatorium amplum loci affecto appoſitum, eoque curaui iuuenem plethoricum 33 annos natum, rheumatico dolore acerrimo brachii totius dextri laborantem, cui vt mederer, poſt varia tentata incaſſum vocatus eram; in cauſa morbi indaganti reſpondit aeger, ſe ſcabiem nuper paſſum fuiſſe, omnique molimine ſatagiſſe, vt ab hac ſpurcitie liberaretur; hunc in finem ſaturninis vnguentis vſum fuiſſe.

 Tem-

Temperantibus igitur ex ſulphuris floribus, nitro et camphora interne exhibitis et primo veſicatorium ſcapulae, dein et brachio applicui, ſtatim cum magno dolorum lenimine, tandemque cum perfecta morbi ſanatione. Hic caſus refertur inter caſus et tentamina chirurgiae ſocietatis Hafnienſis pag. 76 et 77, ibique dicitur, cauſam morbi fuiſſe refrigerium nocturnum, ideo et cataplaſmata applicata dicuntur; ſciendum tamen, rem ita ſic ſe non habere, et ob peculiarem cauſam veritas hic forte occultata fuit.

§. 85. Cum praecedenti morbo omnino conueniunt quoad cauſas effectus et curationem arthritis, vnde ſuperuacaneum videtur de illa agere. Breuiter tantum mentione facta de podagra retropulſa et ad caput, pectus, ventriculum, aliaque viſcera delata, vel mala medicatione, vel natura haud valente materiam podagricam ad articulos amandare: tum enim quantocius veſicantia fortiter ſtimulantia ad pedes et locos olim dolere ſolitos apponenda, vt mortis periculum auertatur.

§. 86. Si dolor rheumaticus articulum oſſis femoris praecipue obſidet, iſchias, morbus coxarius dicitur, hunc igitur morbum vt curarent, veteres inciſiones, inuſtiones et cucurbitarum applicationem com-

commendant. Indi quoque lanugine artemisiae et nomine Moxae satis notae leuem partis inustionem instituunt. Moderni etiam vim electricam laudant, quibus humorum lentescentiam glutinosam attenuare, mouere et expellere conabantur. Sed et hodie omnem adimplere paginam putant, dum vesicans latum parti dolenti adhibent, quod interdum repetunt, vt humorem noxium extrahant. *Boerhauius* magno encomio extollebat discipulis suis in hoc morbo curando vesicantia ex cantharidibus. Innumeros in nosocomio hac methodo ab annosioribus hisce aerumnis percurasse affirmat de *Haen* *) vtilitatem summam vesicantium euidenter monstrauit *Coturnius* in tractatu de ischiade neruosa exemplo ducto ab ischiade curata per vulnus et abscessum diu pus manantia a loco affecto. Ipse etiam nulla alia methodo quam per vesicantia coxagram saepissime curaui.

§. 87. Omnis ventris dolor circa vmbilicum materia vel causa morbi praecipue existente in intestino ileo vel colo, colica dicitur, quae a variis causis oritur, a flatibus nempe, excrementis durioribus et alvi obstructione, ciborum indigestione, bili acri aliisue forte humoribus, quae venae sectione, clysmatibus emollientibus, lenioribus

*) Ratio medend. tom. IV. p. 153.

ribus catharticis balneis, fomentis opiatisque optime curatur.

§. 88. Oritur aliquando ab ilei inflammatione, deque efficacia veſicantium in ileo, dum de inflammationibus erit ſermo, patebit. Hic noſtra attentio praecipue occupatur circa ſic dictam colicam pictonum, quae vel a venenis ſaturninis, a fructibus auſteris, et acidis qualis illa fuit Damnoniorum a cel. *Huxamo* deſcripta, vel a materia arthritica, qualem deſcripſit *Strack*, vel ab aliis cauſis, quae tantopere cruciat aegrotantes, vt hac ſuperata paralyſis fere maneat.

§. 89. Hanc colicam vidit *Ballonius* curatam adhibito vmbilico modico emplaſtro cauſtico et veluti ei charam faciente et intus foras euocante. Ad affinia ergo effectu remedia aliquando tutiora confugere licebit et ex *Bruckneri* de colica pictonum ſententia, emplaſtrum veſicans cum cantharidibus paratum applicandum ad locum ventris plurimum dolentem ſeu vmbilicum, quamuis effectum nec ex deriuatione, nec ex ſtimulo, nec ex euacuatione deducat, additque curam tutiſſimam, citiſſimam, iucundiſſimam inde ſucceſſiſſe; tutoque in hoc morbo veſicantibus vti poſſe arbitratur *de Haen* *), doloribus rheumaticis in hoc

*) Rat. medend. tom. XI. p. 201. 202.

hoc morbo ſaepiſſime ſaeuientibus medetur *Huxamus* veſicante ad ſcapulas applicito, affirmatque, nihil praeſtantius hoc in caſu nouiſſe. *Tronchin* *) veſicantia cruribus vult applicari, vt duobus doloribus ſimul obortis vehementior alterum obſcuret, inter dolorifica dyſenteria numeranda.

§. 90. Torminoſa cruentaque alui deiectio dyſenteria dicitur; cardo curationis in hoc morbo vertitur 1) in plethora minuenda, febri moderanda et inflammatione praecauenda, venae ſectione ſc. quae aliquando repetenda. 2) In materia peccante euacuanda ανω και κατω ipecacuanha nempe vitro cerato antimonii et rhabarbarinis quotidie auctis. 3) In putredine corrigenda, acidis videlicet, cremore tartari, tamarindis et thea foliorum chamomilli. 4) In acrimonia demulcenda, oleoſis, mucilaginoſisque ſc. decocto rad. ſalabbae, ſolutione gummi arabici, tum clyſmatibus ex oleo ſeminis lini iniectis. 5) In ſpaſmis et doloribus inteſtinorum, anodynis et opiatis prudenter exhibitis, ſedandis. 6) Tandem in tono inteſtinorum firmando corticis peruuiani ſymarrubae, caſcarillae vſu, vti aquae calcis lacti mixtae. An quid boni ſperare licebit ex veſicantium abdomini applicatorum in hoc morbo, vti quidam perhi-

*) De colica picton. p. 154.

perhibent? vix videtur; niſi credatur, horum ope ab inteſtinis ad partes externas morbi materiam attrahi poſſe. Multos quidem dyſentericos in diuerſis epidemiis Hafniae graſſantibus habui meae curae per 20 annorum ſpatium et vltra commiſſos, plurimosque curaui feliciter absque veſicantibus.

Inflammationes.

§. 91. Doloris proximus gradus eſt inflammatio, ſed antequam de peculiaribus et topicis agamus inflammationibus, quaedam praelibanda de natura generali inflammationis, quae vt plurimum conſiſtere videtur in ſanguinis diatheſi craſſa et phlogiſtica ſic dicta, ſiue ex irritatione quadam ignota ex neotericorum hypotheſi, inducta ſiue tanquam cauſa efficiens et primaria inflammationis ex *Boerhauii* ſententia conſideretur. Haec igitur incidenda et quidem maxime fieri poſſe videtur veſicantibus applicatis, quae ſanguinem potentiſſime diſſoluere valent et in aquam conuertere poſſunt, qualis ſtatus humorum omni inflammationi contrarius eſt, *Boerhauio* monente. Sed febris et orgaſmus nimius quam maxime timendus, qui certiſſime a ſtimulantibus, irritantibus et veſicantibus augetur. Inde tot ſententiae oppoſitae circa veſican-

tium

tium applicationem in inflammationibus. *Ludwig* monet, haec minime conuenire in ſiccis corporibus, inprimis ſi ſpaſmi vehementiores vel inflammatorii motus vniuerſales adſunt. Cl. *Platnerus* cantharidum vſum improbat, his enim impoſitis, ait, virus additur humoribus, quod teneriora vaſcula laedere atque inflammationem maxime in nobilioribus partibus augere poteſt. „Praeterea ab omnibus ſtimulantibus diſ„ſuadet, dum enim his ſanguinem ab in„flammatis euocare volumus, eum nimis „vehementer agitari et febrem incitari pu„tat *)."

§. 92. Multum conferre veſicantia in ſanguine diatheſi craſſa, viſcida, et ad coagulationes, ſtagnationes ſe diſponente, cenſet *Bagliuius*. Attenuandi et reuellendi ſcopo commendat *Schacht* poſt debitas euacuationes veſicantia reuellendi cauſa eadem laudat *Boerhauius*: cum autem haec inſignem acrimoniam habeant, et irritando partem, cui applicantur, ſaepe motum ſanguinis in toto corpore augeant. Ideo in illorum vſu maiori cautela ſemper opus erit ſecundum *van Swieten* **), et ideo cel. *Quarin* ad veſicantia non ante confugiendum eſſe putat, niſi vbi febrilis languet impetus,

*) Inſtit. chirurg. p. 31.

**) Method. medend. inflam. pag. 14.

petus, quod ex viribus, pulſu, habitu aegri, patet.

§. 93. Ophthalmia eſt inflammatio ſeu rubedo tunicae adnatae, vt plurimum ſine febri, non raro autem, vbi partes oculi internae magis affectae ſunt, magna cum febri. Poſt generalia et ſpecifica commendari ſolent etiam in hoc affectu veſicantia ad nucham, pone aures, quin etiam capiti et temporibus applicanda; nec ſine fructu vſurpantur, vbi materia viſcida impacta mobilis reddenda, obſtructio reſoluenda, acrisve humor deriuandus.

§. 94. Rubedo ſplendens cum cutis levi eleuatione oedematoſa, nunc cum puſtulis, nunc vero cum veſiculis, extrema ſed praecipue caput faciemue obſidens, eryſipelas vocant, adhibentur ad hunc morbum curandum, venae ſectio in valde plethoricis; cathartica leniora, camphorata interne et externe topiceque applicata, fomenta ſpirituoſa; et feliciter breuique vt plurimum hac methodo ſuccedit curatio, praeſertim ſi brachia vel femora affecta fuerint. Contingit vero aliquando, vt vel mala medicatione, vel alia de cauſa eryſipelas ad interiora vergat, vel caput, vti iam dictum, occupet. Tunc etiam ob maius periculum et veſicantibus inter ſcapulas deriuandi cauſa vti licet vt a centro

ad

ad peripheriam humores acres ſeroſi lymphatici, vtplurimum morbi materiam conſtituentes ducantur.

§. 95. Ab externis ad internas et magis periculoſas tranſiens ab angina principium faciemus, eſtque reſpiratio et deglutitio admodum laeſa, a materia inflammatoria, catharroſa, ſcirrhoſa, ſuppuratoria, gangraenoſa, putrida, vel ab affectione conuulſiua et paralytica, organa dictis functionibus dicata afficientia.

§. 96. Remedia hic pro varietate cauſae admodum variant, ſunt enim venae ſectiones, cathartica, ſaponacea reſoluentia, depurantia antiſeptica, acida, cortex peruvianus, gargariſmata, vapores tepidi, enchyreiſis chirurgica, tracheotomia nempe; ſtimulantia, et antyparalytica, balnea, pediluuia, cucurbitulae, fomenta, nitroſa camphorata etc.

§. 97. Tandem et veſicantia deriuandi gratia ad ſuras, femora, brachiaue, commendantur in inflammatoria angina poſt debitas euacuationes, ſic et gulae et nuchae in catarrhoſa et euacuandi et ſtimulandi cauſa. Vti et in paralytica, quamuis haec ordinaria incurabilis et tantum morte terminanda. Et quidem in inflammatoria vbi reſpiratio et deglutitio admodum laeſa, ita vt remediis ore aſſumendis nullus ſit locus,

K vel

vel metus gangraenae imminentis adſit, veſicantia iugulo applicanda; „nihil enim negligendum in tanto diſcrimine, vbi quam „breuiſſimo tempore de vita agitur, et vbi „ſaepiſſime parum valde agendum eſt per „remedia ore aſſumpta *)," deglutitione vero faciliore facta, remediis dein ſupradictis reliqua cura abſolui poteſt, in reliquis anginae ſpeciebus, vix veſicantibus locus.

§. 98. Peripneumonia dicitur pulmonum inflammatio, quae vel vera vel notha ſeu ſpuria, illa a ſanguine in pulmonibus ſtagnante ſpiſſa etc. Haec ab humoribus ſeroſis, catarrhoſis frigidis eosdem obſidentibus oritur, illa iunioribus et plerumque febri acutiſſima ſtipatur, haec ſenes occupat, neque adeo intenſa febris concomitatur.

§. 99. De cura horum morborum vtpote omnibus medicis nota et caeteris inflammationibus communi nihil eſt quod dicam, niſi quatenus ad vſum veſicantium pertinet, nam et ſuris impoſita non ſine fructu ſuadentur a quibusdam ad expectorationem promouendam debitis inſtitutis euacuationibus in ipſa peripneumonia vera immo et pectori applicatum commendat *Quarin* emplaſtrum veſicatorium cum duabus tamen imo tribus et quatuor meliloti

*) *Huxam* de aëre et morbis epid. T. I. p. 212.

loti partibus apponendum. Hoc vix dolorem creat, addens neque calorem multum auget, veſicas tamen aeque magnas et reuulſionem efficaciorem facit ac ſolum veſicatorium; cum maiori volumine applicari poſſit. Cui addere licet, quod non ita dolorificam iam ſatis difficilem reſpirationem efficiat muſculis huic muneri inſervientibus cantharidum vi nimis irritatis, ergo nec facile ad motus reſpiratorios cedentibus. Ideo et vrgente neceſſitate, fere totum pectus eodem inuoluere poteſt ſumma cum vtilitate.

§. 100. In ſumma tamen debilitate vbi nempe pulſus celer et inaequalis, oculi caliginoſi, veſicantia fortiora ad pectus, ſuras, brachia et nucham conueniunt, aliter enim febris aliaque peſſima ſymptomata augentur a cantharidibus, ideo maiorem effectum ſperat celeberrimus *Pringle* a ſinapiſmis ad plantas pedum quam a veſicatoriis et quidem in magna debilitate, vbi delirium adeſt et vti recte iudicat *Quarin* pariter pulſus admodum celer, aequalis et ſatis plenus erit et cum rubore capitis magnoque calore coniunctus.

§. 101. In Peripneumonia ſeroſa, catarrhoſa, ſpuriaque ſic dicta, veſicatoria citius extremis ſcilicet applicanda, vt defluxus materiae acris auertatur, euocetur.

 Lar-

Larga veſicatoria imprimis cruribus et femoribus adhibenda commendantur a *Boerhauio* in hoc morbo, eiusque ill. commentator *) laudat eorum efficaciam, vt humores deriuentur verſus illas partes, quibus applicantur, et vt acri ſtimulo languentem humorum motum excitent ſimulque omne pituitoſum iners diuidant et attenuent, quod hic inprimis requiritur, addit tamen non tuto adhiberi niſi poſt venae ſectionem, clyſmata diluentia adhibita et vbi nullus iam metus eſt, ne aucto his ſtimulis humorum motu plus obruatur pulmo.

§. 102. Datur et tertia Peripneumoniae ſpecies maligna vocata ob ſymptomatum malignitatem, vbi ſanguinis diatheſis potius diſſoluta quam compacta nimis eſt. Raro igitur in tali peripneumonia, ſalutaria inueniuntur veſicantia, ſaepius profecto noxia, cum magis atteſtante *Huxhamo* arrodant et magnam tenuis cruentae materiae emittant copiam et interdum partium excitent deſtructionem.

§. 103. Pleuritis ſeu pleurae inflammatio, quae ſe prodit dolore acuto punctorio, febri acutiſſima pulſuque duro et difficili reſpiratione. Nulla alia fere methodo curabatur a *Sydenhamo*, quam per venae ſectiones repetitas, quamque vt primarium

*) Tom. ſecund. p. 808. et 809.

rium auxilium caeteri commendant omnes medici.

§. 104. Praeterea et alii vſum veſicantium valdopere commendarunt in hoc morbo, partim vt momentum ſanguinis contra vaſa obſtructa diminuatur, partim vt ſputorum excretionem promouerent, partimque tandem vt coagulationes ope cantharidum ſalis ſoluantur *).

§. 105. Non vero concordes ſunt circa partem ad quam, neque circa tempus quo applicanda veſicantia. Etenim ſunt, qui loco dolenti applicari volunt, inter quos eminent *Sauuages*, *Cleghorn* et *Monro* **), qui poſt alteram venae ſectionem ſtatim veſicans latum lateri affecto adhibebat ſemper bono cum euentu.

§. 106. Alii iterum *Hippocratis* effato moti, ſc. in pulmonis quicumque tumores fiunt ad crura boni, extremis cruribusque et tibiis vel ſuris adhibenda cenſent, inter hos primarius eſt *Baglivius* ***), qui quocunque die, ſecundo ſc. aut quarto, quinto, ſeptimo etc., ante vel poſt miſſionem ſanguinis †), vbi ſpirandi difficultas et difficultas pariter excreandi ſputi pleuriticis. Statim tibiis curabat duo applicans veſicatoria,

*) Noſol. method. p. 633.

**) Obſerv. on the epid. diſeaſ. in min. p. 263.

***) Oper. omn. prax. med. p. 656.

†) *Swiet.* comm. in B. tom. 3. p. 47.

toria obſeruauitque poſt appoſita veſicantia expectorationem ſtatim promoueri, ſpirandi difficultatem imminui, et alui fluxum ſi aderat, feliciter ſiſti et aegrum ſanari idem annotauit *Trillerus*, qui tamen fatetur ingenue non ſemper ex voto ſucceſſiſſe veſicantium vſus.

§. 107. Ad tempus quod attinet; ſunt qui non niſi venae ſectionibus aliquot inſtitutis et dolore et difficili reſpiratione non remittente ad vſum veſicantium confugiunt. Veſicatoria ad ſuras et ad latus affectum poſt varias ſanguinis miſſiones fruſtra inſtitutas demum laudat *van Swieten*. *Trillerus* non probat horum vſum, niſi repetitis iam aliquoties venae ſectionibus ſitum adhuc nectat reſpirandi inſignis difficultas vel magis augetur, in caſu vetuſtiori etiam vbi ob aegri debilitatem, et pulſus paruitatem venae ſectio peſſime noceret veſicantia ſatis fortia ad locum dolentem, dein et ad artus applicanda ex conſilio *Quarin* *), ſuadetque, vt camphora veſicanti miſceatur, tam ob ſtimulum augendum quam gangraenam praecauendam. In ſimili caſu vbi aeger peſſime angebatur, ex ſuppreſſione ſputorum et ſuffocationis periculum immineret promptiſſimum, effectum vidi nuperrime ex veſicanti lateri dolenti applicato, cuius hiſtoriam narrare haud pigebit.

*) Method. med. inflam. p. 79.

§. 108.

§. 108. Tector albarius 33 annorum pauperrimus, extrema hyeme praegressa, dolore corripitur punctorio in latere sinistro, respiratione difficillima, tussi et omnibus pleuritidis verae symptomatibus stipato. Cum vero crumena aegroti medicum adire non permitteret; nullo vtitur medicamine, nec, vt alias fieri solet, vena ei secabatur, vnde quotidie malum ruebat in peius. Symptomatibus igitur ingrauescentibus ad nonum diem, mortem anxie et magnis inquietudinibus desiderabat miser. Casu forte haud praeuiso ad aegrotum, introductus filius, in sella sedentem anxie, difficillimeque spiritum trahentem inuenit. Pulsus erat paruus, constrictus, dolor intolerabilis inter costam quartam, et quintam veram, fauces spasmodicae ita constrictae, vt fluidum vix deglutire posset; facies hypocratica et vrina absque vllo sedimento miserrimas doluit aegri vices, qui sibi mortem instare constanter credebat et vix aliud suspicari licebat filio. Nihilominus cum nulli iam venae sectioni locus daretur, nec remedia antiphlogistica, expectorantia hic indicata nullo modo assumere possibile esset, suasit vesicatorium largum loco affecto applicandum. Applicatur quidem et vix incipiebat suum producere effectum, quin mox symptomata

mitigarentur. Poſtero die iam facilius multo reſpirabat, dolor valde imminuebatur, fauces ſatis iam liberae et peruiae ingerendis, ita, vt ſe e mortuis reuocatum aiebat. Equidem nunquam tanta ſeri copia, quam ex hoc veſicatorio viſa. Sequentibus diebus omnia in melius vergebant. Interne decoctum ſenegae cum oxymelle ſcillitico et ſyrupo altheae praeſcribebatur, vt inde expectoratio copioſior excitaretur. Excitatur quidem et 15 dierum ſpatio ſimpliciſſima hac methodo aeger ab orci faucibus ereptus fuit, ſanus atque vegetus viuit, ſuo muneri haud ſecus quam antea aptiſſimus.

§. 109. Loco veſicantium quidam epiſpaſticis mitioribus valde vtuntur, vti *Home*, qui aſſerit inde certe et cito dolorem leuari, ſi parti affectae applicentur. Poſt ſanguinis miſſiones et fomenta dolore acerbo continuante, emplaſtrum veſicatorium aequali portioni meliloti mixtum lateri dolenti adhibendum cenſet *Quarin* *).

§. 110. Diſſuadet omnino *Boerhauius* omne exſiccans calefaciens, impetum augens in cura pleuritidis, huiusce commatis veſicantia eſſe, nemo dubitabit. Trepida manu admoueri vult *Tralles* **) Pleuritici

*) Lib. cit. p. 79.

**) De vſu nox. et ſalub. opii tom. 2. p. 211.

riticis lateri veſicans, in quibus ob violentam febrem, doloremque ſummum, vrinam paruam et valde ſaturatam, abitum inflammationis in gangraenam, vel in ſuppurationem ſaltem metuendum, magis videtur vſus eiusmodi emplaſtri valde irritantis, indicatur quando vis vitae languet, impetusque humorum in locum affectum nimis torpidus, ſolutioni et diſcuſſioni motus ſtagnantis inſufficiens futurus iudicatur. Equidem in mea ſatis populoſa praxi, raro et non niſi in caſibus pauciſſimis deſperatis fere, opus habui veſicantibus in pleuritide, Venae ſectionibus methodo antiphlogiſtica, omnem adimplentibus paginam, et recte cum *Schachtio* *) concludendum nihil eſſe, in quo tantum praeſidii repoſitum eſſe, experientia teſte, quantum in veſicatorio ex cantharidibus parato, non ad remotiora tantum loca, ſed ad ipſam dolentem partem admoto, quod quidem remedii genus non niſi ſumma cum cautela applicandum. Verum efficaciſſimum eſſe tum per experimenta, tum ex analogia cum aliis remediis, tum denique ex ipſo corporis humani mechaniſmo et oeconomiae animalis legibus demonſtrari poteſt.

§. III. Diaphragmatis inflammatio fere eadem methodo iisdemque remediis ac

 pleuri-

*) Inſtit. med. pract. p. 146.

pleuritis curatur, ſed fere ſemper breui necat vel lente ad mortem ducit per empyema vel aſcitidem purulentam.

§. 112. In inflammatione ventriculi ob morbi perniciem et metum gangraenae vix locus datur topicis acribus et ſtimulantibus. Ideo de veſicantium vſu vix mentio fit apud authores in hoc morbo niſi excipias illuſtriſſimum *Vogel*, qui veſicatorium latum regioni epigaſtricae applicat, vt medetur gaſtritidi ex methaſtaſi exanthematica ortae.

§. 113. Inflammantur non raro inteſtina et tenuia et craſſa. Priorum inflammatio periculoſior quam alterorum, et pro varietate ſymptomatum locique affecti vocatur ſimplex enteritis, colica inflammatoria et voluulus tandem. Dolor adeſt atrociſſimus, nauſea, vomitus foetens et ſtercoreus ſaepe, aluus pertinaciſſime obſtructa febrisque plus minus ardens.

§. 114. Methodus antiphlogiſtica hic vt in aliis inflammationibus ſemper neceſſaria; pro indole vero partium affectarum, balnea tepida, ſemicupia, cataplasmata emollientia, laxantia leniora, anodyna commendantur et in voluulo ſpecifice iniectio tabaci fumi per fiſtulam anglicanam, vel ſi haec fruſtra, clyſma ex tartari emetici ſolutione,

tum

tum et argenti viui deglutitio magnis extolluntur encomiis.

§. 115. Acria quoque abdomini applicata ab aliquibus commendantur, an tuto? quaerit de *Haen*, concluditque affirmatiue, dicens ſe non videre cur minus in deſperato hoc morbo vteremur veſicantibus quam in ſaeua pleuritide, poſtquam debitae et euacuationes et applicationes vehementiam non moderantur doloris *). Vnde pergit, cum veſicans in pleuritide ſaepe miranda praeſtet, cum et acria veſicantia autores in ileo morbo tantopere laudent, tuto nos in hoc morbo veſicantibus vti poſſe arbitratur; poſtquam vt in pleuritide conſueta artis adminicula incaſſum adhibita fuerint. Et quem admodum haud in laterum dolore inflammatorio duntaxat, ſed et in rheumatico, atque ſpaſmodico veſicantium laudamus extollimusque effectum, ita quoque in varia ilei natura eadem conferre reor, haec ille.

§. 116. Equidem non video, cui bono veſicantia applicarentur abdomini in volvulo vbi interceptio datur inteſtini, quae ſi amouere haud liceat, aegroti miſerrime moriendum eſſe nemo non nouit. An externa ſtimulantis applicatione deſiderabile illud conſequetur effectum? Poterunt forte

*) Rat. med. tom. XI. pag. 200.

te veſicantia ſtimuli ratione aluum mouere obſtructam in colica vel alia leui inteſtinorum inflammatione, vbi voluulus non adeſt, ibidemque temperata veſicantia, vt loqui amat *Quarin*; merito quoque laudantur, non vero in ileo cum inteſtinorum interceptione.

§. 117. In hepatis inflammatione, emplaſtra epiſpaſtica ſupra locum dolentem applicanda, commendat *Home* et nonniſi vrgente neceſſitate, generalioribus nempe fruſtra tentatis, veſicantia ſuadet *Pringle*.

Pectoris morbi.

§. 118. Difficilis anheloſa magno cum molimine et motu organorum peracta reſpiratio aſthma dicitur. Eſtque vel humidum pituitoſum; vel ſiccum flatulentumque cauſas agnoſcit varias, humorum pituitoſorum in bronchiis accumulationem, ſtricturam bronchiorum ſpaſmodicam, tumores internos et externos pulmones comprimentes, malamque pectoris conformationem, nec non materiem arthriticam repulſam.

§. 119. Cura alia eſt in paroxyſmo, alia extra eum, quas hic recenſere ſigillatim ſuperuacuum erit, et tantum de veſicantium vſu diſſerere breuiter lubet. Quae quidam in aſthmatis humoralis paroxyſmo nem-

nempe, pectori, quidam dorſi et quidam tibiis vel ſuris apponi volunt, partim vt humorum lenteſcentia ſoluatur et expectorationi ſic facilius adaptentur. Partim vt humorum deriuatio fiat ad externa, et partim demum, vt ad extrema fiat attractio, quia, ex *Hippocratis* et *Rhaſis* ſententia, apoſtemata et abſceſſus aſthmaticis fieri et in caeteris pectoris morbis bonum. Praecipue vero iuuant ad ſuras veſicantia in arthritide repulſa. In reliquis aſthmatis ſpeciebus omitti equidem poſſunt, ſunt enim inutilia, vbi humores non adſunt.

§. 120. Sonora violentaque exſpiratio cum vel ſine materia ex pulmonibus tuſſis vocatur, vti praecedens morbus etiam in ſiccum vel humidum diuiditur. Pro varia cauſa, variam requirit medelam. Oritur enim non raro ex corporibus peregrinis tracheam illapſis. Quae quamdiu non expellantur, perſiſtere ſolet tuſſis. Tum quoque et halitus acres irritando moleſtam creant tuſſim. Hi igitur cauendi et admiſſi ſemel, diluentibus demulcentibusque mitigandi. Purulenta materies pulmones ſaepiſſime obſidens, balſamicis, antipuicis, cortice peruuiano corrigenda et ſolutione gummi ammoniaci cum oxymelle expellenda. Pituita viſcida iisdem attenuanda. Hic poteſt valere aliquando veſicans dorſo appo-

appoſitum eidem ſcopo. Vti vbi ſeroſa colluuies catharrhoſa adeſt, non neglectis oleoſis et inuiſcantibus vt deriuatio fiat a pulmonibus. In tuſſi phthiſicorum, vbi praecipue glandulae ſcirrhoſae ſunt in pulmonibus, vel vbi febris depaſcit corpus hectica nihil praeſtare poſſunt. Nec non in tuſſi a mera organorum ſiccitate, ibi enim damnoſiſſima erunt et ſola humectatio lacticiniis valet. In tuſſi ſpaſmodica a ſtrictura organorum reſpirationi inſeruientium antiſpaſtica et opium palmam omnibus praeripiunt.

§. 121. Eſt alia tuſſis ſpecies conuulſiua, infantum propria, quae non niſi vomitu in ventriculo contentorum multae pituitae mixtorum, ſingulis vicibus terminari ſolet, vnde et ſtomachalis audit. Neque remediis pectoralibus cedit, niſi ſolutioni gummi ammoniaci in expreſſione millepedum forſan, ſed emeticis, catharticis et cortice peruuiano oppugnanda. Vti et venae ſectione, quae in omni tuſſi, vbi adeſt plethora, minime negligenda. Et hic veſicantia dorſu applicata commendantur a quibusdam et bono cum ſucceſſu ſaepiſſime iisdem vſus ſum. Etenim materiam attenuant viſcidam, ſtimulum excitant, vt facilius tenelli infantes expectorent, et tandem aliorſum materiam deriuant peccantem.

Hydrops.

Hydrops.

§. 122. Serosa et lymphatica colluuies in quacunque corporis parte abundans hydropem constituit. Eius euacuatio prius, denique partium roboratio pro medela requiritur. Ad priorem indicationem valent abstinentia a potu: diaeta exsiccans, remedia sudorifera, cathartica et in magis debilioribus diuretica. v. c. scilla, cinis genistae, oxymel colchicum, emetica interdum, resoluentia gummosa ammoniacalia, saponacea; attenuantia amara, ex absynthio, centauro parata, et tandem paracenthesis, si aqua pectus replet vel abdomen, si vero encephalon vel alias cauitates obsidet, vix vlla arte educi potest. Ad secundam indicationem commendantur fasciae, infusa vinosa ex rheo et cortice peruuiano; frictiones et exercitia moderata.

§. 123. Laudantur a quibusdam vesicantia in hydrope et scopo diuretico, et vt citius per vulnus excitatum lympha educetur. Sed in hydrothorace et in ascitide seu abdominis hydrope, nec non in hydrocephalo interno, nempe vbi latex serosus intra cranium latitat, nihil efficere valent. In hydrocephalo tamen externo, scilicet, vbi inter cranium et eius tegumenta, extravasatum habetur, epispastica cum decima parte cantharidum capiti raso feliciter adhiben-

hibentur, saepius, quo paulatim per vlcera manantia lymphae copia quotidie minuatur. Eodem modo vidit et ab epispasticis seu potius vesicantibus bonum effectum *Toreti* in anasarca seu leucophlegmatia, nempe vbi humor tunicam cellularem totam obsidet, ad crura adhibitis contra *Sydenhamum* *), qui inde gangraenam metuebat, affirmans se nunquam gangraenam inde ortam vidisse in anasarca, quae non ascitidem secuta est. In hac enim humoribus fere omnibus corruptis et solidis nimis relaxatis non nisi magno cum periculo apponuntur.

Oculorum et auditus vitia.

§. 124. Ex variis causis morbos oculorum varios inducentibus et quae praecipue vesicantia in horum medelam poscunt, sunt copia lacrymarum, vti in epiphora, quae non ex caruncularum lacrymalium, sacciue lacrymalis obstructione prouenit. Materia quaedam acris pituitosa organon visus eiusque neruos male afficiens vti in amaurosi, qualem perfectam vidi a lymphae collectione circa caput in homine 30 annos nato et in paupertate summa degente. Is enim neque amictu neque victu prouisus in loco squalido et humido dormiens, cachexia et tumore pedum praesertim

*) *Swiet.* Tom. IV. p. 255.

ſertim oedematoſo corripitur, remediis hic propriis aliquamdiu vtitur et melius ſibi habere, vtcunque videtur. Sed cum ob ſummam indigentiam omnia ad perfectam ſanationem neceſſaria exhibitu impoſſibilia eſſent, commiſſis ſemper erroribus in ſex rebus ſic dictis non naturalibus haec negligit. Praeterea et quodam die tempeſtate admodum pluuioſa, ventoque ſatis fortiter flante aëri diu ſe committit aperto per plateas palans. Domum reuertenti caput intumeſcit totum et oculis apertis ait ſe coecum eſſe. Vocatus fraudem ſimulationemve ſuſpicans, cum nullum vitium in oculis detegere potuiſſem, aegro praeſertim in obſcuriore loco cubante, lucernam apportare iubeo et quidem clanculum et tacite, ne ab aegro hoc audiretur, proximeque ad oculos admoueo; ille vero nec luce ingrediente nihil de ea dicebat, nec ad oculos applicata pupilla mouebatur, nec contrahebatur, ſed lata et aperta manebat, vti in vera amauroſi. Statim igitur et veſicans latum nuchae applicui et cathartica fortiora, quibus aliquot grana tartari emetici addebam, propino, vt fortius commoueretur caput et humorem diſcuterem vel euacuarem, et horum ope breui iterum viſum recuperauit; datisque dein diureticis et roborantibus aliisque auxiliis, quae et animum et corpus refocillare valerent, perfe-

ɛte conualuit, Poloniam dein ſaniſſimus et vnde natus erat reuerſus, dumque haec ſcribo, elapſis iam octo annis a morbo iterum bene valens Hafniam redux. Externe adhibui ſpiritum Lauand., cum ſpiritu ſal. ammon. partes anaticas, vt iisdem manus fricaret et demum ante oculos apertos teneret, etiamque palpebras ſuperiores illiniret, praeter balneum vaporis ſp. vin. bis de die vſurpandum.

§. 125. Etiam in paralyſi et conuulſione fibrarum iridem conſtituentium, vti in mydriaſi, ſeu pupillae nimia dilatatione conducunt interdum. In caeteris oculorum vitiis praeter ophthalmiam, de qua ſupra, potius ex vſu empyrico, quam rationali, veſicantia applicantur nuchae, brachiis, et caetera.

§. 126. Aurium vitiis quoque veſicantibus mederi ſatagunt quidam, vti iam in otalgia vidimus. Equidem infinitae cauſae haec producentes non ſemper iisdem auſcultant, et in ſurditate poſſunt quidem ſine magno damno tentari, vti et in ſonitu, tinnitu, et aurium bombo, qui a materia huc delata ortum duxerint. Verum enim vero οξυηκόϊα ſeu auctus auditus vix veſicantibus curandus. Etenim valde ſtimulantia, magis tendunt et maiorem rigiditatem partium, cui hoc malum originem debet, inducunt; quare, nec veſicatoria ex cantharidi-

tharidibus admouenda vtique non, nisi aliis euacuationibus praegressis.

Morbi cutanei.

§. 127. Iam variis in locis diximus et commonstrauimus vtilitatem et necessitatem vesicantium in scabie tineaque repulsa, alios morbos inducentibus, ergo et in ipsis eruptionibus cutaneis prodesse debent, ne materia peccans intro vergat, sed prorses e corpore eliminetur, sicque scabies refractaria et impetigo omnibus aliis remediis rebellis vesicantium ope curata fuit, vt ex historia sequenti patebit. Non nouum id esse satis noui, cum a quibusdam commendatum scio vesicantia pro impetigine curanda destruendo nempe et acri eliminando. Sed cum nunquam antea ipse expertus fuerim, quam in nobili virgine, eius historiam narrare haud abnorme puto.

§. 128. Ante aliquot annos vocatus fueram apud virginem e nobili stirpe oriundam, vt impetigini totam fere nucham ad scapulas vsque occupanti mederer, quae alabastrinum caeterum corpus mire defoedabat. In causas inquirens nullam sufficientem in humorum crasi inuenire licuit, cum caeteroquin sanissima esset nullumque praeter hoc incommodi sentiret. De tempore quo malum inceperat sciscitanti, respondit, se aliquot mensibus elapsis pustulam paruam ad nucham maxime prurien-

tem percepiſſe, quae ſubinde ſcalpendo ſeſe magis indies extendebat; tum ſe primo ſaliua propria, dein ſucco citri, tandem variis ex aliorum conſilio applicatis abigere voluiſſe, ſed fruſtra, donec malum ad ſtatum praeſentem perueniret. Vt autem meas adimplerem partes, a venae ſectione incipio, cum ſatis plethorica eſſet, dein catharticum mercuriale exhibeo, et ſpecies pro decocto lignorum more theae bibendas commendo. Externe vnguentum album camphoratum cum mere praecipitato albo inungere iubeo, ſed quid fit, cruſta formatur, labitur, iterum malum maiori cum vehementia repullulat, tandem et mercurialia interne et ipſam mixturam *Swietenianam* in hoc morbo ſaepiſſime efficaciſſimam ſine fructu diu propino, ita vt demum de morbo per deſtructionem curando cogitans, veſicatorium loco affecto applicandum aegrae propono, quod libenter annuit et grauiora ſe tolerare velle, modo a foedo malo liberari poſſet. Die ſequente veſicam excitatam aperiri iubeo cuticulamque omnino ſaeparari et vnguento baſilico, cui miſcebatur puluis cantharidum, vulnus deligari, quo ſuppurante per 15 dies et vltra feliciter liberabatur a turpiſſimo malo absque vlla recidiua in praeſentem diem, vſque quo nobili iuueni nupta in feliciſſimo matrimonio viuit.

Febri-

Febrium cohors.

§. 129. Maior humorum orgafmus cum quadam functionum laefione febris dicitur. In genere duplex eft, intermittens remittensue et continua. Haec iterum duplex videtur, fc. dum ex fpiffitudine humorum inflammatoria, vel ex eorundem diffolutione oritur. In hac autem pulfus eft debilis et celer, in illa vero fortis, plenus, neque raro durus. Ex continuis vero quaedam habent eruptionem et quidem variam comitem, quaedam iterum non. De fingulis feorfim quo vfque in eris conueniat vfus veficantium vel non. De varia enim caeteroquin cura omnium febrium hic agere, meum non attingit fcopum.

§. 130. In genere autem dicendum, quod in intermittentibus et remittentibus vix dari locum veficantibus, nifi forte quando aliquod fymptoma producunt comatofum. In continuis vero vbi calor nimis intenfus, non ita quadrare, ac in iis, vbi calor nimis debilis, qui ergo ftimuli ope excitandus nonnunquam. Ideo in febri ardente inflammatoria feu fynocho non putrida raro praefcribuntur a doctioribus, et tantum epifpafticis feu veficantibus mitioribus valde vtuntur, et non ante quidem quam poft debitas et repetitas fanguinis miffiones. Iisdem demum vifcidum fanguinem diffolvere, obftructiones internas aperire et pulfus

ſus duritiam tollere contendunt, et, vt impetus humorum verſus partes inferiores revellatur, plantis pedum putant applicanda epiſpaſtica ex fermento panis cum ſemine ſinapi. Potius enim aliunde quam ex cantharidibus parantur monente *Schacht*. Verum enim vero emplaſtra de meliloto cum decima parte cantharidum tutum et omnibus indicationibus ſatisfaciendum optimum eſſe remedium, ſaepiſſime expertus ſum.

§. 131. Febris putrida quae et maligna audit ob ſymptomatum grauitatem; nec non particularis ſeu petechialis, dum maculae liuidae, nigrae fuſcaeue in cute apparent, diſſolutionem ſanguinis vt plurimum arguit; et virium proſtratione ſumma, et pulſuum debilitate, exilitate et frequentia ſe prodit.

§. 132. Dum vero ad vim vitae conſervandam certa copia et bona ſanguinis conſiſtentia requiritur. Venae ſectioni hic vix locus. Sed talia exhibenda medicamenta, quae ſaburram putridam e primis viis eliminent, vti emetica, cathartica leniora ex cremore tartari, tamarindis parata; enemata ex ſero lactis acido; quae putredini auerſa, et antiſeptica dicta, acida vegetabilia videlicet, mineralia, quae et ſolutioni humorum vlteriori obicem ponunt; tum et, quae motum blandum ſuſcitent, neruos ſtimulando leniter, vt vis vitae ſuſtineatur,

vt

vt camphora, cortex peruuianus et prudens vini rhenani vſus.

§. 133. Inter ſtimulantia merito numerantur veſicantia ex cantharidibus parata, quae ideo a quibusdam ſtatim et quidem plura ſimul in hiſce morbis ad varia corporis loca adhibentur, minime vero conſiderantes, cantharides ſalino acri volatili alcalino gaudere, quo putredinem augeri certum eſt. Animaduertit cl. *Quarin* anno 1758 in conſtitutione epidemica plurima loca, vbi veſicatoria applicabantur, gangraena correpta fuiſſe; an ergo tuta in morbo petechiali, vbi iam in toto corpore paruulae adſunt gangraenae? Caute in febribus petechialibus mercandum eſſe cum veſicantibus et non niſi vrgente ſumma neceſſitate applicanda cenſet *Buchan* gangraenae metu. Damnantur a celeberrimis in arte viris in nimia humorum diſſolutione, quando nempe in putredinem vergunt, vel etiam, vbi natura ſtimulis non eget, vti vt plurimum in omnium morborum initiis. Sic in delirio quidem ſi facies rubeat, oculi feroces ſint, quod humorum motum ſatis validum indicat, ſinapiſmos acerrimos plantis pedum applicare et veſicatoriis longe anteponere cenſet ſaepius iam laudatus *Quarin*.

§. 134. Veſicantibus vtendum putant doctiſſimi in delirio, quod ſibi adiunctam

habet ſummam debilitatem, vbi petechiae retrocedunt, ob vim cordis ſanguinem pellentis proſtratam, ita vt pulſus non raro intermittat, vel magnus adſit ſopor, quod vel in ſtatu aut circa finem morbi fit. Tunc enim creditur malum non tam in maſſa ſanguinea, quam in fluido nerueo et in ipſis neruis torpidis in quos vim exerceant ſuam. Huic opinioni fauent *Home*, *Huxham*, *van Swieten*, *Quarin* etc.

§. 135. De loco, cui adhibendo veſicantia in febribus putridis, vbi neceſſitas vrget, etiam pauca dicenda. In ſopore enim nuchae vtiliter apponenda videtur, vt caput quantocius a materia premente liberetur. Aliter enim, vbi animus tantum eſt ſtimulum addere neruis, et ab internis ad externa reuellere, ſuris, cruribus et brachiis aptius applicantur, nec placet quod multa ſimul et ſemel adhibeantur. Quot enim non inde dolores? quot non ſtranguriae moleſtae? copia cantharidum ad maſſam ſanguineam inſparſa? Praeſtat igitur plurima, ſed repetitis vicibus apponere veſicantia, ne aeger miaſmate maligno putrido decumbens, tandem cantharidum veneno ſuccumbat.

§. 136. Febris lenta neruoſa hoc habet commune cum febri putrida maligna, quod pulſus ſit paruus neque raro intermittens; inuſita-

inuſitata adſit etiam laſſitudo, anxietates ſummae interponantur.

§. 137. Diſtinguuntur vero ab inuicem quod in neruoſis febribus vrina eſt pallidior, inſomnia et deliria ſtatim adſunt et totum genus neruoſum caputque praeſertim ab initio magis afficitur.

§. 138. In cauſa eſſentiali quoque toto differunt coelo, nam ſicut in putrida nimis adeſt humorum diſſolutio, ſic e contra in neruoſa febri lentor et ſerum viſcidum lymphaque ſpiſſa peccant.

§. 139. Hic ergo, ſi vnquam alibi, veſicantia quam maxime quadrare videntur, vt lentor diſſoluatur, ſtimulatisque neruis ſeu horum motu reſuſcitato humores noxii educentur. Ideo *ab Home* toto morbi decurſu commendantur et cl. *Huxhamo*, cui inter alios graphica huiuſce febris deſcriptio debetur, diu aperta ſeruanda iubemur. Nunquam omitti poſſe neque ſatis cito adhiberi in febribus neruoſis habet *Buchan*. Stimulandi cauſa et circulatorii motus promouendi ergo, ex hoc enim fonte, caeteros quos edunt tonos effectus veſicatoria pendere nemo non nouit. Vi enim vigente vitae, quae actiuitati neruorum debetur, humores lenti, pigri, ſtagnantes mouentur, perque colatoria cutis vrinariasque vias expelluntur. Neque aliud remedium ſimile veſicantium in vniuerſa medicina

 exiſte-

existere, quod tantis dotibus simul polleat, sc. dissoluendi, attenuandi, diuresim promouendi, sudores excitandi, materiam noxiam a centro ad corporis peripheriam attrahendi euacuandique commoto toto neruorum systemate per externam applicationem.

§. 140. Non raro humor lymphaticus abundans, lentescens et acris, vasa subcutanea oppilat, vt inde febris non valde intensa tamen accendatur, quam post paucos dies excipit pustularum vel rubrarum, vel albarum eruptio a semine milii non plane abludentium, vnde nomen.

§. 141. In medela huiusce requiritur, vt iusto moderamine seruetur, inde raro hic conuenit. Venae sectio, diaphoretica leniora, acida et aëris calor moderatus optima sunt remedia.

§. 142. In miliari alba saepissime, raro vero in rubra, quaedam oriuntur symptomata, systema neruosum affectum esse indicantia, vti sunt deliria, cum pulsuum debilitate, inaequalitate et pustularum retrocessione, quae vesicantia postulant, vt stimulum neruis concilietur et humores acres euacuentur ad cutim stagnantes: praeter ea detur ex consilio cl. *Huxhami* moschus tanquam optimum ad cutim pellens remedium.

§. 143. Cum miliari fere conuenit quoad medendi methodum scarlatina, quae vero

vero eſt haud minus familiaris infantibus, quam miliaris puerperis. Caeterum ſunt maculae ſemper rubrae et latiores, ita vt magnitudine ab vtraque, colore autem ab alba miliari quam maxime diſtinguatur. Nec hic veſicantia apponenda niſi ſcarlatina ſubito retrocedente et vbi ſumma aderit debilitas.

§. 144. In morbillorum eruptione potius ad pectus attendendum, curandumque vel in initio vel in fine morbi tuſſi ingraueſcente, vt ſanguinis copia minuatur ope venae ſectionis, largiter inſtitutae et quidem in tenellis, vbi plethora adeſt. Nec veſicantibus locus niſi morbillis ſubito retrocedentibus pulſuque debili exiſtente, et in vltimo ſtadio tuſſi pertinaci permanenti recte dorſo apponuntur.

§. 145. Duas dari praecipue variolarum ſpecies, vnam ſc., benignam, quae puſtulis diſtinctis vel ad ſummum, cohaerentibus, pureque flauo plenis absque vllo malo ſymptomate, erumpunt, perſtant et cadunt, ſeu exſiccantur, alteramue malignam, quae puſtulis confluentibus nimis, paruis et humore lympathico refertis vix eleuatis et quaſi in cute ſepultis aut latentibus appareant, magnaque ſyndrome ſymptomatum, comate ſc. delirio, febri putrida, ſecundaria praeſertim ſtipantur omnibus notum eſt; benignae nullo egent medicamine

ne et bono regimine aëreque puro non calido absque vllis reliquiis 15 dierum ſpatio ab inuaſione morbi numerando diſparent.

§. 146. Malignae vero artis auxilium poſcunt et ideo commodius a medicis ad quatuor earum ſtadia attenditur, quae ſingula varia requirunt remedia, et quidem diuerſa in diuerſis ſubiectis, nam in plethoricis venae ſectio et quidem repetita in talo potius quam in brachio a quam plurimis commendatur, qua putant materiae variolosae quantitatem minui; huic ſcopo quam maxime inſeruiunt laxantia repetita et clyſmata, pediluuia et cataplaſmata ad plantas pedum, vt humorum impetus ad haſce partes inferiores deriuetur, nam magnitudo morbi creſcit ex copia variolarum in facie, faucibus etc. et in hoc praecipue vtilitas inſitionis commendatur a cl. *Camper* in diſſertatione ab Academia Toluſae coronata. Remedia ſint acida nitroſa, vno verbo, antiphlogiſtica, quamuis morbus varioloſus non mere ſit inflammatorius, vti *Boerhauio* aliisque viſum. Aeger arcetur a lecto quantum poſſibile, caloris cubiculi non aſcendat vltra gradus 10 in thermometro Raumuriano, ſudor omnino vitetur.

§. 147. Dicta praecipue obſeruanda in primo morbi ſtadio vel in primis tribus diebus, vbi orgaſmus humorum nimius ante eruptionem. Si enim ex aduerſo humorum

morum motus ſeu febris primaria nimis languida, debilitas ſumma, magna pectoris oppreſſio, anxietas, coma, et delirium, quae omnia puſtularum malignitatem et copiam arguunt, tum camphora aceto mixta, cortex peruuianus, epiſpaſtica immo et veſicantia ad ſuras commendantur a quibusdam et ſpecifice a *Cloſſio* ſcopo, vbi febris maior, quidem 1) febris primariae iugulandae vel inſignitor mitigandae, 2) eruptionis exanthematum promouendae, 3) eorundem retroceſſionis impediendae; 4) parcioris illorum prouentus efficiendi, 5) eadem a facie arcendi, 6) oculos ab omni iniuria defendendi, 7) nitoris vultus ſinceri integrique conſeruandi, 8) febris ſecundariae vel omnino praecauendae, vel mitiſſimam efficiendi, 9) variolarum reliquias praepediendi.

§. 148. Sunt vero, qui raro veſicantium vſum in principio variolarum conuenire credunt, et a *la Metrie* tantum in conuulſionibus ante eruptionem applicabantur, nec a doctiſſimo *Huxhamo* non probantur in primo ſtadio, niſi vbi puſtulae quaſi ſepultae latent in cute, et vbi metus eſt, ne lingua et fauces et narium viae pari modo ac aliae iſtis valde infeſtentur, ſi nempe morbus irruit cum raucitate vel magno aeſtu oris fauciumque etc. tunc enim vel excitatur natura languida nimis et a copia vario-

variolarum oppreſſa, ad horum expulſionem: aliter enim expulſionem variolarum accelerare ſeu promouere velle veſicantium ope, vti docet *Cloſſius* noxium eſſet, cum tarda eruptio caeteris paribus multum contribuat ad morbi benignitatem. Febris impetum primaeriae veſicantibus moderare velle, eſſet ignem oleo extinguere. Ego equidem lecto libello *Cloſſi* in ſinu gaudebam, me habere aliquod remedium, quo plures ſeruare forſan liceret ciues, epidemia varioloſa oborta. Sed breui quidem a tanta ſpe fruſtratus fui, dum enim in quamplurimis varioloſis ſtatimque ante eruptionem veſicantia ad ſuras applicari curaverim, nihil inde boni videre mihi contigit, erumpentibus variolis et confluentibus praecipue ad faciem, neque remittentibus ſymptomatibus et in plerisque octauo die, vti ſolet ab eruptione morte finiebat morbus.

§. 149. Sed equidem credo cum cl. *Hirſchel* epidemia varioloſa graſſante, hiſce qui hoc morbo nondum laborarunt ſanique adhuc ſunt, ſaepius applicanda eſſe veſicantia ad brachia et ad ſuras diuque relinquenda aperta vel vno exſiccato, aliud alio loco ſtatim apponatur, camphora ſemper addita, vt ſtranguriam alias metuendam obuiam eatur.

§. 150. In ſecundo autem morbi ſtadio variolis crudis exiſtentibus, nec bonum pus ſed lymphatici quid gignentibus, veſicantia

cantia bonum praeſtabunt effectum acribus humoribus exitum parando. Tum etiam vbi ſaliuatio vti fit in adultis bono omine, ſubito imminuitur, nec manuum vel pedum tumor ſequatur ad metacarpia et pedum condilos applicanda ſuadet *Huxham*, vt tumor illarum partium certius procedat, in deglutiendi difficultatem adeo interdum aegroto moleſtam nuchae applicata magnum lenimen afferunt, vt multoties expertus ſum. Ex conſilio *Sydenhami* epiſpaſticum apponendum in hoc ſtadio, ſed non nimis praemature, ne ſcilicet ante diem vndecimum eius vis amittatur, neque in eum ipſum diem reiiciatur, quo iam tardius adueniens, illo temporis articulo obeſſe poſſit, prae calore et aeſtu, quem ſanguini inprimit cum febri ſecundaria.

§. 151. Vt pace tamen tanti viri dicam, in febri illa ſecundaria, vbi non raro deliria aliaque grauiora ſymptomata a pure reſorpto oriuntur et quidem in ipſis diſcretis nullo malo antea ſymptomate ſtipatis, bono cum fructu ſaepius adhibita vidi et quidem aeſtate praegreſſa in virgine 22 annorum, quae in hac febri, quamuis regimine frigido tractata et toto morbi decurſu ſingulis diebus e lecto ſurgeret, per aliquot horas, feneſtris in aëre temperatiſſimo ſemper apertis, mire delirabat, cantillabatque, ingraueſcente calore febrili circa veſpertinas horas: ſed ad ſuras veſicantibus latis appoſitis, poſt paucarum horarum interuallum ceſſabant omnia et breui dein perfectiſſime conualuit.

§. 152. Reſtat adhuc pauca dicere de febri peſtilentiali et de ipſa peſte, in qua veſicantia vix locum habere videntur, cum, vt plurimum ſtatuatur, harum eſſentiam in ſanguinis nimia diſſolutione conſiſtere. Sed cum non raro in ſanguine ſpiſſo et phlogiſtico immo in ſale acidiſſimo aquae regiae non abſimili conſiſtat, vti in peſte Vindobonae depopulante

te anno 1700 bubonis destillatione commonstrauit Archiater Eleonorae Imperatricis.

§. 153. Hac ratione forsan vesicantia profuisse in peste Nouiomagensi, *Diemerbrockio* teste et in Hafniensi attestante *Botticbero*, ambobus de re medica probe meritis, credere licet. Maximeque accommodata videntur, si alcalina volatilia in peste Londinensi propinata bonos praestiterint effectus: quod arguit equidem miasma malignum pestiferum, si non semper, saepe tamen acidum esse *), sed hic magnum ingenii acumen requiritur, vel annosa praxis in distinguendo morborum malignorum genio. Prophylactice etiam in peste tutissime adhiberi posse vesicantia, non est quod dubitemus.

*) Recherch. philosoph. sur les Egipt. les Chinois. tom. I. p. 93 in Notis.

FINIS.